SPECULUM APOLOGETICUM FRATRUM MINORUM ORDINIS S. FRANCISCI QUI...


Jacques : de Ridder




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
9
1 C
25


SPECVLVM APOLOGETICVM FRATRVM MINORVM ORDINIS S. FRANCISCI

Qui Obseruantes sunt, & vocantur, vt in eò eluceat veritas foueatur & augeatur charitas quæ est vinculum perfectionis.



AVCTORE

R. ADM. P. FR. IACOBO DE RIDDERE Ordinis Fratrum Minorum Prouinciæ Germaniæ Inferioris secundo Ministro nec non S. Theol. Lect. emerito.



ROMAE,
Typis IACOBI PHAEI, MDCLI.

SVPERIORVM PERMISSV.

SPECVLVM
APOLOGETICVM
FRATRVM MINORVM
ORDINIS
S. FRANCISCI

Qui Obseruantes sunt, & vocantur, vt in eo eluceat veritas, luceatur & augeatur charitas quae est vinculum perfectionis.

AVCTORE

R. ADM. P. FR. IACOBO DE RIDDER
Ordinis Fratrum Minorum Provinciae Germaniae Inferioris pro tempore Ministro ac nunc S. Theol. Lect. emerito.

ROMAE,
Typis IACOBI PHAEI. MDCLI.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDISSIMIS PATRIBVS

P. FR. PETRO MANERO


Totius Ordinis recens electo Ministro Generali,


P. F. DANIELI A DONGO

eiusdem Ordinis ex-Vicario Generali alijsque Reuerendissimis, ac Reuerendis Patribus in celeberrimo Capitulo Generali totius Ord. Seraphici congregatis anno 1651. die 27. Maij in Conu. nostro Aracęl.



Euerendissimi, ac Admodum Reuerendi Patres mira scribit Reueren. Pater Zacharias Bouerius Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum in suis Annalibus; stylo quidem rethorico, sed certè in multis à veritate alieno: hæc omnia inspi-







cienti ad oculum patent. Vnde in Congregatione Generali Victoriæ celebrata Anno 1648. die 27. Iunij vnanimi consensu Definitorum, & Discretorij decretum est vt Annales Reuerendi Patris Zachariæ Bouerij ab aliquibus deputandis à Reuerendissimo Patre Generali, peruoluerentur, & si quæ in illis manifestè deprehenderentur calumniæ, ac imposturæ contra honorem, & famam Religionis contra bonos mores, & veritatem historiæ, ac contra prærogatiuam officij Ministri Generalis nostræ Religionis, & contra formam habitus &c. vera & modesta censura retunderentur, ne taciturnitas nostra ab aliquibus pro consensu reputetur, nam qui tacet consentire videtur. Ad id munus inter cæteros minimè sufficiens deputatus sum à Reuerendissimo Patre Ioanne à Neapoli Generali Ministro vt patet ex literis eiusdem ad me datis Victoriæ 29. eiusdem anni & mensis; & Obedientia cogente Annales eiusdem Bouerij secundum tenuitatem meam examinaui, & peruolui, & certè multa reperi (prout in discursu latius) quibus ordi-

nem

nem nostrum Seraphicum denigrauit. Ex multis immò quasi infinitis aliquot Collegi, quibus opposui hoc Speculum apologeticum, vt in ea reluceat veritas: abstinui quantum potui ab acrimonia styli & punctura verborum, ne fortè quod veritati debetur passioni attribuatur; Nolui malum pro malo reddere, sed vincere in bono malum.

Ad Vos igitur Reuerendissimi ac Admodum Reuerendi Patres hoc Speculum pergit, vt in eo videatis neuos quibus iste Historicus Ordinem nostrum sanctissimum, & Seraphicum aspersit: & vt sub vestro patrocinio, & tutela securè quiescat: & inprimis ad te Reuerendissime Pater (sub cuius auspicijs iam recenter prodit) qui vnanimi voto hesterna die prima electione in hac celeberrima Congregatione (qua forte nunquam celebrior, aut numerosior) omnium applausu, & congratulatione, verus, & legitimus successor Seraphici Patris nostri Francisci per continuam successionem (Quam tamen videtur velle interturbare Bouerius.) pronunciatus es Tu itaque defende librum, defende authori-

tatem

tatem, & dignitatem quam aßecutus es, defende Ordinem, à calumnijs illo virili animo, quo semper pro gloria, & honore Ordinis, eiusque augmento stetisti: quid mirum si virili animo? MANERO ES, quod sonat in lingua nostra Flandrica, item Anglica, Vir-ero. Vir certè debebat eße, qui tantæ præeßet multitudini, qui clauum nauis Minoriticæ inter tot exurgentes procellas, tempestates, & vndas, rectè gubernaret. A viro Ordo noster sanctissimus accepit initium, teste sancto Bouauentura sic incipiente historiam Seraphicam: Vir erat in ciuitate Assisi nomine Franciscus; per viros, qui nunquam defuerunt, hactenus directus, neque certè nunc desunt viri præclarissimi tum doctrina, tum pietate in hac vastissima totùque per mundum diffusa Religione, non desunt in hac sancta, & ampla Congregatione; vnus inter tot electos MANERO vir nomine, & re. Dicebat olim Samuel ad Saul primi Reg. cap. 13. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus, vt esset Dux super populum suum: Quæsiuimus virum in hac sancta Congrega-

tione,

tione, virum; qui esset Dux super populum hunc; virum inuenimus, MANERO, virum speramus, qui sit secundum cor Dei, qui ita semper manebit donec cum grege sibi credito ad dona perueniat sempiterna. Ita optant omnes, ita opto.

Humilis vester subditus, & filius
Fr. Iacobus de Riddere.

PRO-

PROTESTATIO
AVCTORIS.

CVm Sanctiss. D.N. VRBANVS Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in S. Congregatione S.R. & vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemq. confirmauerit die 5. Iulij an. 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui sanctitate, seu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seù quæcunq. beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iulij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, benè tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penès Auctorem. Huic Decreto, eiusque confirmationi, & declarationi obseruantia, & reuerentia, qua par est, insistendo profiteor me haud alio sensu quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle quàm quo ea solent, quæ humana dumtaxàt auctoritate non autem diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

INDEX QVAESTIONVM.



Quæstio

Quæ-

FR.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Riualdus Vicesgerens.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus, Magister, & Socius Reuerendiss. P. Fr. Vincentij Candidi Magist. Sac. Palatij Apostolici, Ord. Prædicatorum.


Abrasis pag: 81 sequentibus verbis ex cuius fragmento sequenti num.º relato prout ab ipso met explicatur patet fuisse subrepticium. et pag. 82 sequentibus verbis, necnon quam quod illud ipsum de eadem subreptionis labe suspectum sit. et pag. 180 sequentibus verbis. infelices q.º mulieres et Eunuchi qui non possunt perfecte xpm imitari. et ibidem quam plena rebus mirabilitas continentia reformatio ubi in sola Barba tot latent misteria et pag 181 sequentibus verbis, Relinquentes Patribus Capucinis tamquam Eremitis prout ea institutum suum barbe, et Capucij prolixitatem cum omnibus misterijs in eis contentis sine ulla Emulatione. Abrasis igitur præfatis, et non alias

PRAE-

Publicetur

[illegible]

PRAEFATIO.



RAE FATVR inter alia Annalibus suis Reuerendus Pater Zacharias Bouerius Ordinis Reuerendorum Patrum Capucinorum Tgeologus: veritatem ita esse necessariam historiæ; *vt illius vita ac fundamentum iure nuncupari debeat*. Cuius rationem, paucis interiectis, subiungit: *nam*, inquit, *quemadmodum humanum corpus, simul ac dicesserit animus, exanime cadauer efficitur: ita etiam historia, si a veritate, quæ illius vita & anima est, deseratur, protinus vel in commentum, vel in fabulam mutatur*.

Hoc verum esse non abnuo, sed libentissimè profiteor; addo tamen Historico, præsertim christiano, viro religioso sacræ historiæ Scriptori, tam esse necessariam charitatem (quæ secundum Apostolum *non cogitat malum*, & *congaudet veritati*) 1. Cor. 13. vt sine ea veritas non modo non prodesse, sed etiam esse, aut consistere vix possit. Licet enim amplior aliquanto facultas videri posset concessa historicis scribendi veritatem, quæ res vno in loco, & vno tempore, publicas, possint scriptis suis ad alia loca publicare, earumque notitiam, non obstante particulari detrimento, ob commune bonum, ad aliorum cautelam, ac posterorum instructionem, ad plures deducere, & quodammodo perennare. non ob id tamen a Iustitiæ & charitatis legibus censendi sunt eximi; vt quidquid libet scribere liceat. Siquidem non solum falsa scribere eis inhibitum est; verum etiam occultos aliorum defectus, in præiudicium famæ & honoris, propalare; incertos ex leui suspicione, vel male fundata opinione, pro certis obtrudere, grauiter lædit Iustitiam; imo in his eo magis circumspectus debet esse Historicus, quo grauius & irremediabilius famam proximi lædit: dum ea quæ per scripta publica omnium oculis exponuntur, eo ipso vera & indubitata esse creduntur, & vix, aut ne vix quidem, ex hominum animis deleri possunt.

Insuper tam verum, quam tritum, est commune illud proloquium: *affectus excecat intellectum*: quo fit vt si historicus inordinato aliquo affectu præuentus, in scribendo eidem plus æquo indulgeat, non satis claro & puro oculo veritatem intueatur. Vt solent humani oculi colore aliquo infecti, vel per medium coloratum intuentes, obiectum eodem modo tinctum aspicere; vel maius aut minus, quam est; vel etiam vt fractum quod est integrum, pro mediorum diuersitate repræsentare. Vnde nimis sæpe euenit vt historia in suo Auctore sincera charitate destituta, atque ex impuro fonte priuati amoris effluens, mutetur in proprij amoris commentum, fabulam, proximorum calumniam, aut saltem huiusmodi næuis aspergatur.

Clamabant olim filij Prophetarum ad Elisæum, gustato pulmento eis infuso: *Mors in olla vir Dei!* 4. *Reg.* c. 4. v. 40. quia nimirum vnus ex pueris eius, inter herbas siluestres, Colocynthidas agri collegerat, & in ollam pulmenti conciderat, nesciens quid esset. Idem merito contra historicos clamari posset aliquando, qui sine delectu & discretione verum euentus, instar herbarum siluestrium, & inter illos Colocynthidas amararum narrationum in ollam historiæ suæ concidunt & conijciunt, quibus amaricari faciunt non solum ora, et ventres; sed corda & mentes eorum quibus eiusmodi edulia proponuntur; præsertim si istius modi narrationes, personas ipsorum, antecessores, vel communitates quarum sunt membra, concernant: vt sane multo sale vel farina opus foret ad corrigendos amaros istos sapores; nisi vel diuino miraculo tollerentur, aut stomacho valde perfecto exciperentur & concoquerentur.

An ab hisce sacri historici & sinceræ historiæ conditionibus non deflexerit aliquantulum Reuerendus P. Zacharias Bouerius in suis Annalibus, seu historia sacra Ordinis Minorum Sancti Francisci qui Capucini nuncupantur, nolim ego iudicare, sed alijs malo iudicandum relinquere: licet enim mihi videatur scribere contra meum ordinem Fratrum Minorum Obseruantium, eiusque professores, plurimas amaritudines, & eos velle consumere nescio quibus inobseruantiæ peccatis, dum per singulas ferè paginas *deplorabilem Ordinis Obseruantium statum a Regulari Obseruantia dilabentem, commune in eo*

relaxationis vitium, virus Regularis inobseruantiæ, vepres, collapsam disciplinam, & Regularis inobseruantiæ naufragia, pessumdatam paupertatem aliasque religiosas virtutes nemine opem ferente, imo statum ordinis non fuisse statum salutis, commemorat & inculcat. Ob quas non immeritò contra eũ exclamari possit: *Mors in olla vir Dei! mors in olla!* malui tamen hactenus, & alij mecum prælegerunt, amara eiusmodi edulia calore charitatis in silentio concoquere, quam malum aliquod pro malo reddere, aut dolorem, licet iustum, aliquo displicentiæ signo indicare.

Verum cum id modo non liceat per obedientiam superioribus debitam, sed coactus fuerim attentius scripta Bouerij masticare & degustare, omnibusque, maturè examinatis ac discussis pro Religionis (cuius indignus sum filius) defensione aliquid scribere; id tamen ita facere statui, vt (licet fortè læsus in Matre mea Religione) lædere tamen Auctorem, vel in persona sua, vel in sacro suo instituto (quod veneror ex animo) minimè intendam; sed sed veridicum aliquod eius scriptis speculum opponere, quod nemini blandiendo puram putam omnibus, & in omnibus, quantum possibile erit, exhibeat veritatem: ne forte taciturnitas reputetur in consensum; & qui viderint Reuerendum Patrem Bouerium, nullo contradicente, sacrum nostrum Obseruantium ordinem denigrare, putent eo ipso vera esse quæ scripsit, quo vident omnes (quasi manifesta veritate oppressos) obmutuisse.

Porro istiusmodi amaritudines non existimo ex aliqua cordis amaritudine in viri Religiosi scripta emanasse; sed partim ex præcipiti calamo, ac in suarum rerum laudibus exuberante effluxisse; partim ex eorum narratione qui ab obseruantibus exeuntes Capucinorum congregationem, vel primò inchoarunt, vel postmodum ad eam transierunt, sumpsisse initium: tales enim solent pro affectu quem conceperunt, malè, vel minus honorificè, loqui de ijs quos deserunt, suique transitus causas cum exaggeratione referre, vt eo magis eiusmodi suum actum (qui alioqui facile leuitati, aut inconstantiæ; adscriberetur ab hominibus) iustificent, quo maioribus ex causis videri volunt pristinum suum institutum deseruisse. Ita siquidem fert humanæ fragilitatis conditio; qua nec primos illos Capucinicæ congregationis Auctores, nec Posteriores, eius

alumnos, omnino caruisse, vtpote homines, a quibus omnia humana abesse non possunt, præsumere debemus; neque id Reuerendus Pater Bouerius dissimulare voluit, aut potuit; nedum negare.

Vt igitur solidum aliquod quæstionibus in hoc speculo proponendis & resoluendis fundamentum substernam, vtque dicenda non videantur obscura legentibus, aut sæpius opus sit eadem, quæ ad historiam pertinent, ad singulas quæstiones repetere; præmittendam hoc loco duxi compendiosam & sinceram narrationem earum rerum, circa quas mouendæ sunt quæstiones, & a quibus earum resolutio dependet.



BREVIS ELVCIDATIO historica rerum in hoc Speculo repræſentandarum.

§. *Primus*.

De diuerſis reformationibus, & diuiſionibus in Ordine.



OMNIBVS notum eſſe arbitror Sanctiſſimum Patrem noſtrum Franciſcum, ita Chriſti Domini, ac Saluatoris noſtri in natiuitate, vita, ac morte, per omnia typum geſſiſſe, vt etiam ſacer noſter ordo ab ipſo inſtitutus, inſtitutę à Chriſto Eccleſię ſimilitudinem fere omnimodam habuerit, tàm in malis, quam in bonis. Adeoque ſicuti in agro ſanctæ Eccleſiæ, Chriſti licet ſanguine rigato, ac ſemine diuini eius verbi ſeminato, inimico ſuperſeminante, apparuerunt inter triticum zizania; ita & in Ordine Fratrum Minorum ſancti Franciſci, inter tot ſanctos Euangelicæ perfectionis Zelatores, apparuerunt etiam imperfectorum & imperfectionum zizania. Apparuit enim ſextus Beati Patris diſcipulus Ioannes à Capella, id eſt, ab almutio ſeu pileolo (cuius abuſum in Ordinem ipſe introduxerat) nuncupatus; qui circa colligendas, & erogandas communes eleemoſynas (quod ipſi commiſſum fuerat) in ſollicitudine excedebat, nec ad frequentia Beati Patris ſui monita ab ijs ſupra neceſſitatem accumulandis abſtinebat, vnde contigit vt inſtar proditoris Iudæ, cuius vitam imitatus fuerat, infami, & miſerando interitu laqueo vitam finiuerit. Apparuit, & Frater Elias, qui licet (vt Beatus Petrus Chriſti) Beati Patris fuerit ab ipſomet inſtitutus Vicarius, & pluries eius ſucceſſor in Generala-

tu; vita tamen, moribus, & doctrina, Beatissimum Patrem quodammodo abnegauit, dum contra eius Regulam, tanquam inobseruabilem, plurimas relaxationes induxit in Ordinem, priuilegia contra altissimam paupertatem procurauit, pluresque post se traxit assectas, qui sacrum Minorum Ordinē non modico detrimento affecerunt. Licet autem Diuina prouidentia non defuerit Ordini, ac plures viri zelosi, tam ex Beati Patris socijs, quam alijs, impijs hisce conatibus sese opposuerint (inter quos Beatus Cæsarius de Spira pro Regularis Obseruantiæ puritate Martyr occubuit) ac Fr. Elias post turpem Apostasiam, tandem extra Ordinem, iuxta prædictionem sancti Francisci; eius tamen, & creditur, precibus, pœnitens occubuerit; reliquiæ nihilominus ipsius non ita potuerunt exterminari, vel relaxationes ab ipso introductæ eliminari, quantumuis diuersi Generales viri Religiosissimi, in Fratris Eliæ locum suffecti, ad hoc adlaborauerint; quin ea occasione plures in Ordine reformationes, Deo, vel inspirante, aut saltem permittente, emerserint, quibus humana fragilitas, semper ad laxiora propensior, sisteretur.

Inter has prima computari potest quorundā Fratrum, quos aliqui Spirituales, & Deuotos vocant, alij Contentiosos, & Phantasticos, pro suo quisque in partes studio; qui viuente adhuc Fr. Elia, videntes eius, illiusque Sectatorum machinationes; oppositiones aliorū pro puritate Regulæ Zelantium, ac turbas quæ inde in Ordine sequebantur; necnon & relaxationes, quas facilius breui tempore potuerat Fr. Elias introducere, quam à bonis & prudentibus Superioribus potuerit multo tempore extirpari; excessiuo forte zelo (vt indicat Vvadingus ad annum Christi 1244. num. 3. sese à Fratrum communitate separantes, ad solitaria loca & syluas confugerunt; in quibus sub Obedientia Prælatorum Ordinis per annos plures in stricta Regulæ Obseruantia perstiterunt, vt refert Reu. Pater Fr. Petrus Marchant in secunda editione expositionis super Regulam in caput octauum quæst. 3. agens de hac prima reformatione. Hi à Beato Cæsario Spirensi, cuius zelum, & disciplinam sequi velle profitebantur, dicti sunt Cæsareni, vel Cesariani.

Hos subsecuti sunt anno 1294. *Patres aliquot quibus arctioris vita, & purioris Obseruantia nimirum irrepsit desiderium*, inquit

inquit Vvaddingus ad illum annum, numero 9. qui captata Cælestini V. ex Eremita ad Pontificatum euecti; pietate, & propensione erga Eremicolas, ab ipso petierunt vt liceret eis viuere secundum puritatem Regulæ, auctoritate Pontificia, cui nemo auderet contradicere; *Et obtinuerunt ampliorem* (inquit Præfatus Auctor) *sed periculosam facultatem, quod vbicunque eis placeret ad præscriptum Regulæ, & intentum à se rigorem, viuere & cohabitare possent*. Vocati sunt in principio, ita ipsis petentibus, & statuente Pontifice; non Fratres Minoritę, à quibus etiam habitu distinguebantur; sed pauperes Eremitę Domini Cęlestini. Verum postquam Cęlestinus Pontificatui renuntiasset, timentes Ordinis indignationem ad varia loca dispersi, Episcopis se subiecerunt, vocatique sunt Clareni vel à Fr. Angelo Clareno, vt aliqui volunt, vel à *Claro* monte quem primo inhabitarunt: sicque manserunt separati ab Ordine, vsque ad annum 1477. quo, curante Xisto IV. & instante Fr. Francisco Sampsone Ministro Generali, ad vnionē Ordinis redierunt; ea lege vt sub proprijs Prælatis viuerent, solique Ministro Generali subderentur. Succrescentibus hinc inde diuersis temporibus variarum relaxationum zizanijs, pluribusque in Ordinem abusibus, præsertim contra paupertatem, sensim irrepentibus, ignorantibus pro maiori parte Superioribus Generalibus, aliquibus etiam conniuentibus, aut segnius sese opponentibus, diuersi quoque diuersis temporibus exsurrexerunt viri zelosi, qui contra abusus strenuè decertarunt, inter quos fuit Fr. Vbertinus de Casali, Fr. Raymundus Panfredi, qui postmodum Generalis electus est; Fratres etiam illi Barbonenses, & Bituricenses, qui sub Clemente Quinto assumptis Vilioribus & Strictioribus habitibus Ordinem de excessibus diuersis, in prouisionibus, eleemosynarum pecuniariarum receptionibus, alijsque accusarunt: quorum occasione Clemens Quintus edidit Clementinam: *Exiui de Paradiso*. Verum eorum zelus indiscretus, quo non tantum Ordini, sed etiam Pontificibus, ex ipsis aliqui obstinatius restiterunt, tandem à Ioanne XXII. edita contra eos extrauagante, *quorumdam exigit*, per censuras, & alias pœnas repressus est;

Liceat nobis hic dicere, quod occasione Cæsarenorum ad annum Christi 1244. num. 7. habet Reuerendus Pater Frater Lucas Vradingus: *corpus Religionis in medio sistens; hat membrorum*

FR. DANIEL A DONGO

Totius Ord. Minor. S. P. Francisci Vicarius Generalis & Seruus. Dilecto nobis in Christo P. Fr. Iacobo de Riddere, eiusdem Ord. Prouinciæ verò nostræ Germaniæ Inferioris Ministro Prouinciali, ac Lectori Iubilato salutem, &c.

CVM iuxta Apostolicas, ac Ordinis nostri constitutiones reuisum, & approbatum fuerit quoddam Opus à te compositum, cuius titulus est Speculum Apologeticum S. Francisci qui Obseruantes sunt & vocantur, &c. *harum nostrarum seriè quatenus præfatum Opus ser. ser. Typis mandari possis, facultatem tibi facimus, & concedimus. Vale, Dat. Romæ hac die decima septima Maij anno* 1651.

Fr. Daniel à Dongo Vic. Generalis.

APPROBATIO.

EX commissione Reuerendi Admodum Patris Iacobi de Riddere Theologiç Lectoris emeriti ac nostræ prouinciæ Germaniç Inferioris secundò Prouincialis: legi accuratè librum ab ipso compositum cui titulus *Speculum Apologeticum Ordinis sancti Francisci Fratrum Minorum, &c.* Et nihil in eo reperi bonis moribus aut fidei contrarium, sed omnia doctè cum sincera fide & charitate concinnata. Datum Romæ in conuentu nostro Fratrum Minorum Aracœlitano, Iunij anno 1651.

Ita censeo Fr. Antonius ab Oudenttouen Diffinitor Generalis Lector Sac. Theol. emeritus.

Ego

APPROBATIO.

EGo infrascriptus ex commissione Reuerendiss. P.Fr.Danielis à Dongo, totius Ordinis FF Minorum Vicarij Generalis, Pastoris vigilantissimi, Ordinisque honoris zelosissimi; *Opus intitulatum Speculum Apologeticum Fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci qui Obseruantes sunt & vocantur &c.* à R.Adm.P.Fr. Iacobo de Riddere almæ Prouinciæ Inferioris Germaniæ, iam secundo Prouinciali Ministro, ac sac. Theologiæ Lectore emerito concinnatum, summa cum animi voluptate perlegi; nihil tamen in eo aut fidei, aut bonis moribus dissonum reperi; sed præclara quęque ac eximia eruditissimo viroque religiosissimo digna; nequaquam modestię aut vrbanitatis regulas seu limites (quod in similibus materijs valdè rarum) excedentia, quin potius summum animi candorem, purumque zelum in charitate Christiana fundatum, suauiter redolentia; ita enim suam causam pro Regulę suæ Obseruantibus defendit, cumque ea verborum lenitate ac suauitate suum aduersarium premit; vt eiusdem Regulę perfectum Obseruantem, humilemq; Christi Discipulum & Seraphici Patris nostri imitatorē, clare se esse ostendat. Quare censeo illud prælo dignissimum ac omnium Obseruantium manibus merito terendum. Dat. Romæ 17. Maij in Conuentu Aracœlitano. 1651.

Fr. Angelus à sancto Francisco Prouinciæ Anglicæ Minister prouinciæ Angliæ, ac sac. Theologiæ Lector Iubilat.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Riualdus Vicesgerens.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus, Magister, & Socius Reuerendiss. P. Fr. Vincentij Candidi Magist. Sac. Palatij Apostolici, Ord. Prædicatorum.


Abrasis pag: 81 sequentibus verbis ex cuius fragmento sequenti num.° relato prout ab ipso met explicatur patet fuisse subreptitium. et pag. 82 sequentibus verbis, praetereo quod illud ipsum de eadem subreptionis labe suspectum sit. et pag. 180 sequentibus verbis, infelices quoque mulieres et Eunuchi qui non possunt perfecte xpm imitari. et ibidem quam plena rebus mirabilibus censenda reformatio ubi in sola barba tot lateant misteria. et pag. 181. sequentibus verbis, Relinquentes Patribus Capucinis tamquam Eremitis pro vi instituti eorum barbae et capitis prolixitatem cum omnibus misterijs in eis contentis sine ulla aemulatione. Abrasis igitur praefatis, et non alias

Publicetur

[illegible]

PRAE-

PRAEFATIO.



RAEFATVR inter alia Annalibus suis Reuerendus Pater Zacharias Bouerius Ordinis Reuerendorum Patrum Capucinorum Tgeologus: veritatem ita esse necessariam historiæ; *vt illius vita ac fundamentum iure nuncupari debeat*. Cuius rationem, paucis interiectis, subiungit: *nam*, inquit, *quemadmodum humanum corpus, simul ac diceßerit animus, exanime cadauer efficitur: ita etiam historia, si a veritate, quæ illius vita & anima est, deseratur, protinus vel in commentum, vel in fabulam mutatur*.

Hoc verum esse non abnuo, sed libentissimè profiteor; addo tamen Historico, præsertim christiano, viro religioso sacræ historiæ Scriptori, tam esse necessariam charitatem (quæ secundum Apostolum *non cogitat malum*, & *congaudet veritati*) 1. *Cor*. 13. vt sine ea veritas non modo non prodesse, sed etiam esse, aut consistere vix possit. Licet enim amplior aliquanto facultas videri posset concessa historicis scribendi veritatem, quæ res vno in loco, & vno tempore, publicas, possint scriptis suis ad alia loca publicare, earumque notitiam, non obstante particulari detrimento, ob commune bonum, ad aliorum cautelam, ac posterorum instructionem, ad plures deducere, & quodammodo perennare. non ob id tamen a Iustitiæ & charitatis legibus censendi sunt eximi; vt quidquid libet scribere liceat. Siquidem non solum falsa scribere eis inhibitum est; verum etiam occultos aliorum defectus, in præiudicium famæ & honoris, propalare; incertos ex leui suspicione, vel male fundata opinione, pro certis obtrudere, grauiter lædit Iustitiam; imo in his eo magis circumspectus debet esse Historicus, quo grauius & irremediabilius famam proximi lædit: dum ea quæ per scripta publica omnium oculis exponuntur, eo ipso vera & indubitata esse creduntur, & vix, aut ne vix quidem, ex hominum animis deleri possunt.

Insuper tam verum, quam tritum, est commune illud proloquium: *affectus excecat intellectum*: quo fit vt si historicus inordinato aliquo affectu praeuentus, in scribendo eidem plus aequo indulgeat, non satis claro & puro oculo veritatem intueatur. Vt solent humani oculi colore aliquo infecti, vel per medium coloratum intuentes, obiectum eodem modo tinctum aspicere; vel maius aut minus, quam est; vel etiam vt fractum quod est integrum, pro mediorum diuersitate repraesentare. Vnde nimis saepe euenit vt historia in suo Auctore sincera charitate destituta, atque ex impuro fonte priuati amoris effluens, mutetur in proprij amoris commentum, fabulam, proximorum calumniam, aut saltem huiusmodi naeuis aspergatur.

Clamabant olim filij Prophetarum ad Elisaeum, gustato pulmento eis infuso: *Mors in olla vir Dei!* 4. *Reg.* c.4. v40. quia nimirum vnus ex pueris eius, inter herbas siluestres, Colocynthidas agri collegerat, & in ollam pulmenti conciderat, nesciens quid esset. Idem merito contra historicos clamari posset aliquando, qui sine delectu & discretione verum euentus, instar herbarum siluestrium, & inter illos Colocynthidas amararum narrationum in ollam historiae suae concidunt & conijciunt, quibus amaricari faciunt non solum ora, et ventres; sed corda & mentes eorum quibus eiusmodi edulia proponuntur; praesertim si istius modi narrationes, personas ipsorum, antecessores, vel communitates quarum sunt membra, concernant: vt sane multo sale vel farina opus foret ad corrigendos amaros istos sapores; nisi vel diuino miraculo tollerentur, aut stomacho valde perfecto exciperentur & concoquerentur.

An ab hisce sacri historici & sincerae historiae conditionibus non deflexerit aliquantulum Reuerendus P. Zacharias Bouerius in suis Annalibus, seu historia sacra Ordinis Minorum S. Sancti Francisci qui Capucini nuncupantur, nolim ego iudicare, sed alijs malo iudicandum relinquere: licet enim mihi videatur scribere contra meum ordinem Fratrum Minorum Obseruantium, eiusque professores, plurimas amaritudines, & eos velle consumere nescio quibus inobseruantiae peccatis, dum per singulas ferè paginas *deplorabilem Ordinis Obseruantium statum a Regulari Obseruantia dilabentem, commune in eo*

relaxationis vitium, virus Regularis inobseruantiæ, vepres, collapsam disciplinam, & Regularis inobseruantiæ naufragia, pessumdatam paupertatem aliasque religiosas virtutes nemine opem ferente, imo statum ordinis non fuisse statum salutis, commemorat & inculcat. Ob quas non immeritò contra eũ exclamari possit: *Mors in olla vir Dei! mors in olla!* malui tamen hactenus, & alij mecum prælegerunt, amara eiusmodi edulia calore charitatis in silentio concoquere, quam malum aliquod pro malo reddere, aut dolorem, licet iustum, aliquo displicentiæ signo indicare.

Verum cum id modo non liceat per obedientiam superioribus debitam, sed coactus fuerim attentiùs scripta Bouerij masticare & degustare, omnibusque, maturè examinatis ac discussis pro Religionis (cuius indignus sum filius) defensione aliquid scribere; id tamen ita facere statui, vt (licet fortè læsus in Matre mea Religione) lædere tamen Auctorem, vel in persona sua, vel in sacro suo instituto (quod veneror ex animo) minimè intendam; sed sed veridicum aliquod eius scriptis speculum opponere, quod nemini blandiendo puram putam omnibus, & in omnibus, quantum possibile erit, exhibeat veritatem: ne forte taciturnitas reputetur in consensum; & qui viderint Reuerendum Patrem Bouerium, nullo contradicente, sacrum nostrum Obseruantium ordinem denigrare, putent eo ipso vera esse quæ scripsit, quo vident omnes (quasi manifesta veritate oppressos) obmutuisse.

Porro istiusmodi amaritudines non existimo ex aliqua cordis amaritudine in viri Religiosi scripta emanasse; sed partim ex præcipiti calamo, ac in suarum rerum laudibus exuberante effluxisse; partim ex eorum narratione qui ab obseruantibus exeuntes Capucinorum congregationem, vel primò inchoarunt, vel postmodum ad eam transierunt, sumpsisse initium: tales enim solent pro affectu quem conceperunt, malè, vel minus honorificè, loqui de ijs quos deserunt, suique transitus causas cum exaggeratione referre, vt eo magis eiusmodi suum actum (qui alioqui facile leuitati, aut inconstantiæ; ad scriberetur ab hominibus) iustificent, quo maioribus ex caussis videri volunt pristinum suum institutum deseruisse. Ita siquidem fert humanæ fragilitatis conditio; qua nec primos illos Capucinicæ congregationis Auctores, nec Posteriores, eius

alumnos, omnino caruisse, vtpote homines, a quibus omnia humana abesse non possunt, præsumere debemus; neque id Reuerendus Pater Bouerius dissimulare voluit, aut potuit; nedum negare.

Vt igitur solidum aliquod quæstionibus in hoc speculo proponendis & resoluendis fundamentum substernam, vtque dicenda non videantur obscura legentibus, aut sæpius opus sit eadem, quæ ad historiam pertinent, ad singulas quæstiones repetere; præmittendam hoc loco duxi compendiosam & sinceram narrationem earum rerum, circa quas mouendæ sunt quæstiones, & a quibus earum resolutio dependet.



BREVIS ELVCIDATIO historica rerum in hoc Speculo repræſentandarum.

§. *Primus*.

De diuerſis reformationibus, & diuiſionibus in Ordine.



MNIBVS notum eſſe arbitror Sanctiſſimum Patrem noſtrum Franciſcum, ita Chriſti Domini, ac Saluatoris noſtri in natiuitate, vita, ac morte, per omnia typum geſſiſſe, vt etiam ſacer noſter ordo ab ipſo inſtitutus, inſtitutę à Chriſto Eccleſię ſimilitudinem fere omnimodam habuerit, tàm in malis, quam in bonis. Adeoque ſicuti in agro ſanctæ Eccleſiæ, Chriſti licet ſanguine rigato, ac ſemine diuini eius verbi ſeminato, inimico ſuperſeminante, apparuerunt inter triticum zizania; ita & in Ordine Fratrum Minorum ſancti Franciſci, inter tot ſanctos Euangelicæ perfectionis Zelatores, apparuerunt etiam imperfectorum & imperfectionum zizania. Apparuit enim ſextus Beati Patris diſcipulus Ioannes à Capella, id eſt, ab almutio ſeu pileolo (cuius abuſum in Ordinem ipſe introduxerat) nuncupatus; qui circa colligendas, & erogandas communes eleemoſynas (quod ipſi commiſſum fuerat) in ſollicitudine excedebat, nec ad frequentia Beati Patris ſui monita ab ijs ſupra neceſſitatem accumulandis abſtinebat, vnde contigit vt inſtar proditoris Iudæ, cuius vitam imitatus fuerat, infami, & miſerando interitu laqueo vitam finiuerit. Apparuit, & Frater Elias, qui licet (vt Beatus Petrus Chriſti) Beati Patris fuerit ab ipſomet inſtitutus Vicarius, & pluries eius ſucceſſor in Generala-

tu

inquit Vvaddingus ad illum annum, numero 9. qui captata Cælestini V. ex Eremita ad Pontificatum erecti, pietate, & propensione erga Eremicolas, ab ipso petierunt vt liceret eis viuere secundum puritatem Regulæ, auctoritate Pontificia, cui nemo auderet contradicere; *Et obtinuerunt ampliorem* (inquit Præfatus Auctor) *sed periculosam facultatem, quod vbicunque eis placeret ad præscriptum Regulæ, & intentum à se rigorem, viuere & cohabitare possent.* Vocati sunt in principio, ita ipsis petentibus, & statuente Pontifice, non Fratres Minoritę, à quibus etiam habitu distinguebantur; sed pauperes Eremitę Domini Cęlestini. Verum postquam Cęlestinus Pontificatui renuntiasset, timentes Ordinis indignationem ad varia loca dispersi, Episcopis se subiecerunt, vocatique sunt Clareni vel à Fr. Angelo Clareno, vt aliqui volunt, vel à *Claro* monte quem primò inhabitarunt: sicque manserunt separati ab Ordine, vsque ad annum 1477. quo, curante Xisto IV. & instante Fr. Francisco Sampsone Ministro Generali, ad vnionē Ordinis redierunt; ea lege vt sub proprijs Prælatis viuerent, solique Ministro Generali subderentur. Succrescentibus hinc inde diuersis temporibus variarum relaxationum zizanijs, pluribusque in Ordinem abusibus, præsertim contra paupertatem, sensim irrepentibus, ignorantibus pro maiori parte Superioribus Generalibus, aliquibus etiam conniuentibus, aut segnius sese opponentibus, diuersi quoque diuersis temporibus exsurrexerunt viri zelosi, qui contra abusus strenuè decertarunt, inter quos fuit Fr. Vbertinus de Casali, Fr. Raymundus Panfredi, qui postmodum Generalis electus est; Fratres etiam illi Barbonenses, & Bituricenses, qui sub Clemente Quinto assumptis Vilioribus & Strictioribus habitibus Ordinem de excessibus diuersis, in prouisionibus, eleemosynarum pecuniariarum receptionibus, alijsque accusarunt: quorum occasione Clemens Quintus edidit Clementinam: *Exiui de Paradiso.* Verum eorum zelus indiscretus, quo non tantum Ordini, sed etiam Pontificibus, ex ipsis aliqui obstinatius restiterunt, tandem à Ioanne XXII. edita contra eos extrauagante, *quorumdam exigit*, per censuras, & alias pœnas repressus est;

Liceat nobis hîc dicere, quod occasione Cæsarenorum ad annum Christi 1244. num. 7. habet Reuerendus Pater Frater Lucas Vvadingus: *corpus Religionis in medio sistens, hæc membrorum*

brorum inaequalitate, ac diuerso studio diuexatum, inter extrema securum iter tenebat, vt nec praetensae perfectionis intuitu aliorum contemptum prae se ferret, aut sacrosanctum pacis, ac charitatis violaret seditione nexum, aut litigijs interturbaret silentium, nec etiam irrepentem dissolutione labem foueret, aut probaret excessus. Numquam enim totum corpus Ordinis, abusus aliquos contra Regulae puritatem, vel Priuilegia contra Franciscanam paupertatem, aut approbauit, aut admisit: Neque etiam Ordinis capita Generales scilicet Ministri, duobus tantum exceptis, fratre Elia, & fratre Antonio de Massa (qui etiam ob relaxatum Ordinem à Generalatu absoluti sunt) vnquam directè fouerunt relaxationes, aut relaxatis vt talibus fauerunt: Inualuere nihilominus magis, ac magis relaxatorum fratrum nimiae libertates, quos à recipiēdis redditibus, & bona temporalia iuxta priuilegia à Clemente IV. & Martino V. & alijs forte quibusdam Pontificibus subreptitiè obtenta, nec Regula, nec amor virtutis, neque Superiorum inhibitiones cohibere potuerunt: adeo vt tandem eo vsque malum hoc excreuerit, quod non solum domus aliquae, verum plures integrae Prouinciae, ea labe inficerentur. Ita vt ad expurgandum Ordinem opus fuerit solidiori aliqua, & generaliori reformatione. Hanc attentauit primitus frater Ioannes de Vallibus cum socio fratre Gentili Spoletano; sed irrito conatu. Resumpsit praefatus frater Gentilis authoritate Clementis VI. Pontificis fretus; sed quia non satis prudenter & humiliter rem aggressus est, iterum pro secunda vice tota res abijt in fumos. Assumpserat enim cum suis frater Gentilis, teste Reuerendo Patre Luca Vvadingo ad annum Christi 1355. num. 1. & 2. habitus viles in qualitate, & forma ab aliorum fratrum vestimentis discrepantes, similes ijs quos reformationis Narbonensis Auctores sub Clemente V. & Ioanne XXII. repressi, sibi elegerant; nihil sibi cum alijs Fratribus commune esse volebant; & (quod erat peius) omnem fere Ministri Generalis authoritatem excutiebant: ita vt Reuerendiss. Patri Guilielmo Farinerio vni ex consodalibus eius aliquid praecipienti, irreuerenter, & impudenter in faciem restiterit, dixeritque nihil ipsi in suos consodales iurisdictionis superesse; quibus non immerito commotus praefatus Generalis, alijque Ordinis Patres, arreptis occasionibus

bus etiam aliunde ipsum accusati di ob susceptos in societatem suam indignos (quamuis id bono fine ipsi factum esse asseuerauerint, & credibile videatur) tantum egerunt apud Pontificem Innocentiū VI. vt Clementis VI. priuilegium, quo nitebatur, reuocaretur, & sic tam ipse quam socij ad Ordinis Obedientiam reducerentur.

Humiliori modo, & ob hoc feliciori successu rem aggressus est frater Paulus, vel, vt alij, Paulutius Fulginas, siue de Trincis, humilis Laicus, nobilis genere, & pietate, & hoc tam notabili actu nobilior. Is Impetrato à Ministro Generali Thoma Frignano, interuentu consanguinei sui Hugolini de Trincis Fulginij Principis, tuguriolo Bruliani, inter Fulginium, & Camerinum sito, in quo alij frustra reformationem inchoare tentauerant, de licentia præfati Ministri Generalis aduocatis paucis socijs, viris optimis & Religiosissimis anno 1368. initium dedit, eo solidius, quo humilius, famosissimę, atque Ordini Seraphico vtilissimæ, imò necessariæ reformationi Obseruantium, quæ ex paruo isto semine fauentibus pręfato Generali, & omnibus eius Successoribus, quibus semper mansit subiecta, Gregorio XI. alijsque Summis Pontificibus, ac pręsertim diuino Numine, eatenus excreuit & propagata est, vt Ordinem vniuersum, adeoque, & orbem totum peruaserit, perstiteritque stabilis, & illęsa, non obstantibus pluribus contradictionibus Ministrorum Prouincialium, à quorum iurisdictione eximebatur, & relaxatorum Fratrum, qui ęgrè ferebant laxiorem suum modum viuendi; Obseruantium exemplo, potius quam verbo, condemnari, vsque ad annum 1517. in quo plenum verę reformationis effectum consecuta est, vt postea dicemus.

Interim suscitatę sunt alię adhuc reformationes, videlicet, Obseruantium sub Ministris dictorum, eo quod sub immediato Ministrorum Prouincialium regimine eius Professores permanserint. ad quos reducendos putat R.P. Marchant supracitatus in caput octauum Regulæ quęst. 3. fratres Coletanos qui à B. Coleta nomen sortiti sunt: obtinuit siquidem B. Coleta à Benedicto XIII. vt posset eligere Patrem Confessarium, qui & Sororum confessiones exciperet, & aduentantes sæculares, qui absque aliqua proprietate, siue in particulari, siue in communi, iuxta Regulæ sancti Francisci tenorem, atque præceptum

& absque Pontificijs indultis victitarent, sibique subessent, Minoritico habitu indueret.

Virtute cuius concessionis elegit sibi suisque Confessarios, qui & potestatem istam exercuerunt. Quo factum est vt intra breuissimi temporis spatium, plura monasteria tum Sororum Clarissarum pauperum, tum quoque Fratrum reformatorum iuxta Coletanam hanc reformationem, in Belgio & diuersis Franciæ locis fundata ac reformata fuerint: & quia ista monasteria à B. Coleta vel ædificabantur, vel reformabantur, & Patres ac Fratres ad eiusdem nutum atque electionem eorum ministerio destinabantur, sicut Moniales Coletanæ, ita earum quoque Patres Coletani appellati fuerunt. Ita habet Gõzaga 1. parte sui chronici, titulo de Coletanorum Fratrum, atque Monialium ortu.

Similis fuit Amadæorum reformatio ab Auctore Fratre Amatore vel Amadeo nobili Lusitano, nuncupata, quæ inchoata est circa Annum Domini 1464. & fauente illi Sixto IV. Pontifice per Italiam valde est propagata. Denique circa annum 1500. Auctore Fratre Ioanne de Guadalupe ex Obseruãtia, incepit reformatio Fratrum de sancto Euangelio nuncupata tum quod prima eorum Custodia fuerit erecta sub titulo sancti Euangelij, tum quod secundum illud pauperrimè vitam ducebant. Iidem vocati sunt Fratres de Caputio: quia ad imitationem sanctissimi Patris Francisci caputium aliquantisper acuminatum assumpserunt. denique dicti sunt discalceati, eo quod nudis omnino plantis sine sandalijs aut soleis incederẽt. Hi varias passi sunt contradictiones, & modo soli Generali Ministro, modo Vicarijs Generalibus Obseruantium, interdum etiam Ministris Prouincialibus subiecti fuerunt, vt latè docet Barrezzo Barrezzi 4. par. Chronicorum Ordinis cap. 1. 2. & seqq. Tandem emerserunt & plures Prouincias obtinuerunt, ac pro maiori vniformitate ad sollicitationem Patrum de Obseruantia acumen caputij derelinquentes, rotundam seu communem caputij figuram iuxta consuetudinem Ordinis resumpserunt.

§. Secun-

§, *Secundus*.

De Vnione Ordinis.



CVM sicut similitudo est incentiuum amoris, ita è contrario morum humorumque dissonantia dispathiam efficiat animorum: ex tanta discrepantium membrorum varietate vix aliud expectari potuit, quam magnæ intra Ordinem dissentiones, & plura extra illum scandala hominum sæcularium, præsertim illorum, qui rerum spiritualium minus expertes sunt. Licet enim omnes istæ reformationes cum Patrum, qui Conuentuales nuncupantur, corpore;in vno, & eodem capite Generali Ministro vnirentur; in Prouincijs tamen quasi ex toto à se inuicem dissidebant, & quantumuis in substantiali Regulæ Obseruantia reformati inter se conuenirent; in modis tamen accidentalibus differentes, non modicis se mutuo inquietudinibus afficiebant; dum posteriores in Obseruantijs accidentalibus à se assumptis, æquo feruentiores essent; alij vsitatis antea modis, & consuetudinibus tenacius inhærerent, præcipuam vero faciebat dispathiam quod inter Conuentuales, qui præcipuam, & maiorē Ordinis partem constituebant, plurimi iam relaxati, licet eandem Regulæ Professionem simpliciter emisissent, eā tamen non nisi cum priuilegijs ab aliquibus Pontificibus concessis obseruare volebant; & sic in essentialibus Regulę à Patribus Regularis Obseruantiæ plurimum discrepabant.

Quamobrem diuersi Pontifices quibus bonum Ordinis Frāciscani, tamquam nobilissimæ partis Ecclesiæ, cordi erat, vt esset *Deus* in sacro isto Ordine tanquam *in loco sancto suo*, & *faceret habitare vnius moris in domo*, *psal. 67. v. 6.* conuocarunt ex Patribus Conuentualibus & Obseruantibus diuersa Capitula Generalissima, sic dicta, ad distinctionem earum Congregationum, in quibus vel soli Conuentuales, vel soli Obseruantes inter se conueniebant; vt in ijs de modis, & medijs Ordinem tam variè discissum reuniendi tractaretur.

Primum Martinus V. anno 1430. Asisij celebrandum indixit, in quo communi omnium Patrum suffragio Pater Antonius de Massa, quod sibi & subditis laxiorem viam aperuisset.

ſet, à Generalatus officio eſt depoſitus: eique Reuerendiſsimus Pater Guilielmus de Caſali ſuffectus qui omnes Vicarios Prouinciales, hactenus Obſeruantibus præpoſitos, exauctorauit. Factæ ſunt etiam in hoc capitulo conſtitutiones quæ Martinianæ vocantur, à Martino V. Pontifice qui eas confirmauit. Verum ille, Conuentualibus fauens, poſtmodum in ijſdem ſtatutis (licet ab omnibus Patribus cum iuramento admiſsis) diſpenſauit. Vnde poſt Martini V. obitum Beatus Ioannes de Capiſtrano ab eius ſucceſſore Eugenio IV. petijt vt Obſeruantes cuilibet Prouinciæ vnum Vicarium Prouincialem ex ſeipſis præficere poſſent, à quo regerentur, ſicut ante præfatum Capitulum generaliſsimum regi ſolebant. Huius Pontificis fauore conceſſum eſt Obſeruantibus celebrare Capitulum ex ſuis Bononiæ anno 1431. præfecitque eis, idem Pontifex Apoſtolica autoritate dictum B. Ioannem Capiſtranum tanquam ſuum generalem Commiſſarium, ac poſtmodum ſanctum Bernardinum Senenſem inductu Capiſtrani Generalem Vicarium Obſeruantium inſtituit, in quorum inſuper fauorem dedit ampliſſimam bullam anno 1447. quam Eugenianam nominant plurimas gratias & priuilegia continentem.

Secundum Capitulum Generaliſſimum conuocauit idem Eugenius IV. Patauij anno 1443. in quo licet pro voto Pontificis non eſſet electus in Generalem Miniſtrum Fr. Albertus de Sarciano Vir integerrimus, atque Regularis Obſeruantiæ acerrimus propugnator, quem ipſe Patribus vocalibus commendauerat: confirmauit nihilominus eum, quem ipſi elegerant fratrem Antonium de Ruſconibus; ea tamen conditione vt Beatum Ioannem Capiſtranum Obſeruantibus per Italiam, & fratrem Ioannem de Mahuberto ab altera parte montium tanquam ſuos Vicarios præficiat. A quo tempore iſti Vicarij ſub Obedientia Miniſtrorum Generalium Obſeruantes rexerunt, id ordinante Pontifice Eugenio in prænominata ſua bulla vſque ad tempora Leonis X. ſub quo factam eſſe vnionem poſtea dicemus.

Tertium Generaliſſimum Capitulum celebratum eſt ſub Calixto Tertio qui minus in principio fauorabilis Obſeruantibus conceſſos ab Eugenio IV. fauores, ſeu bullam Eugenianam, reuocauit, Capitulumque indixit Aſſiſij anno 1455. in quo, Præſidente fratre Iacobo de monte Brandone, alias de

 Mar-

Marchia, concepti sunt quidam articuli pacis & vnionis ineundę, qui neque Conuentualibus, neque Obseruantibus multum arriserunt: quos tamen Calixtus sua bulla sequenti anno ad hoc edita obseruandos præscripsit.

Vnde anno 1457. in dicto Mediolani quarto Generalissimo Capitulo pro executione Bullę istius Calixtinæ noluerũt Conuentuales permittere, vt Patres Obseruantes suis concilijs, electionibus, ac definitionibus interessent; quod tamen erat expresse contra pacis articulos ante conceptos; protestationibus legitime coram Notario & testibus, Patribus Obseruantibus, factoque de hoc authentico instrumento, ne ex sua parte mandatis Pontificijs contrauenire viderentur.

In quinto Capitulo Generalissimo sub eodem Pontifice Romæ celebrato anno 1458. per Breue aliud Pontificium data est solis Conuentualibus electio Ministri Generalis; Obseruantibus vero concessum fuit vt seorsim Cismontani & Vltramontani Vicarios sibi eligerent, à Generali Ministro confirmandos; quod gratissimum ipsis fuit. Factusque proinde est Pontifex eis magis fauorabilis. Sub cuius itẽ successore Pio II. Obseruãtibus addictissimo (qui reuocatis constitutionibus, eis aduersantibus Bullã Eugenianã restituit) in pace magna & tranquillitate per tredecim annos Domino famulantes vixerunt. Sed Franciscus Ruuere ex Generali Ministro ad dignitatem Cardinalitiam, ac postea ad Pontificatum assumptus, qui Sixtus Quartus dici voluit, tentauit Obseruantes per omnia Generali Ministro subijcere, reuocauitque iterum omnes concessiones Eugenianas. Cumque res eò deducta esset vt nullum propemodum humanum effugium superesse videretur, propendentibus ad Pontificis mentem Cardinalibus ad hoc conuocatis; Fr. Marcus à Bononia Vicarius Obseruantium ex parte Italiæ, extractam e manica Regulam S. Francisci coram toto consistorio in mediũ proiecit, oculisq; in cœlum eleuatis, genuflexus, alta voce exclamauit: *Eia Sanctissime Pater, Pauperumque Patriarcha Francisce, pro tuæ Regulæ Obseruantia stare satagito, quandoquidem pauperculus ego homuncio, viribus omnibus extenuatus, atque omni humano fauore destitutus, id efficere nequeo.* Quo actu, tam Summus Pontifex, quam Cardinales commoti, rem concludere distulerunt, datumque est interea tempus Obseruantibus à Regibus & Principibus

litteras ad Pontificem impetrandi ; quibus supplicabant, ne Obseruantes Conuentualibus submittere , aut eorum Eugeniana Priuilegia abrogare vellet , quandoquidem id ipsi in suis ditionibus nullo pacto permissuri essent. His lectis miratus est Pontifex, dicens: *Putabam me cum pediculosis Fratribus negotium tantùm , non autem cum omnibus mundi Principibus, habiturum* . Cui cum tunc temporis assisteret Illustrissimus ac Reuerendissimus Cardinalis Bononiensis, Nicolai V. Pontifici vterinus frater subiunxit : *Videris Santissime Pater quid egeris quidue decreueris: nam ij fratres plures numero sunt & bene ob vitæ candorem atque sinceritatem apud omnes audiunt, optimeque de Catholica Ecclesia merentur , & vniuersum orbem post se , si opus fuerit, trahent* . Cuius consilij acquiescens Pontifex, non solum Eugenianam concessionem denuò comprobauit , sed alios insuper plures fauores præstitit Obseruantibus . Ita refert Gonzaga prima part. Chron. quintum Generalissimum Capitulum describens.

Sextum Capitulum Generalissimum fuit indictum à Iulio Secundo Pontifice Romæ anno 1506. submittentibus sese per omnia Obseruantibus suæ Sanctitatis imperijs:cumque in illo, Conuentualibus proponeretur à Commissarijs Pontificis, an ad modum viuendi Obseruantium transire vellent ; id vnanimiter fere omnes renuerunt, ac protestati sunt se velle frui priuilegijs ac dispensationibus Pontificijs sibi concessis. E contra vero Obseruantibus se in antiqua sua obseruantia manere velle affirmantibus, sine alio vlteriori effectu, conuentus ille solutus est, & cedentibus Obseruantibus Capitulo , iuxta concessionem Eugenianam , soli Conuentuales Ministrum Generalem eligerunt. Statutum est insuper in hoc Capitulo vt intra vnius anni spatium omnes Clareni, Amadæi, Coletani ac Fratres de caputio seu de Euangelio , eligerent, an Conuentualibus , vel Obseruantibus , retento tamen antiquiori nomine , vellent vniri; qui omnes post biennium, iuxta datam sibi electionem, Obseruantibus adhæserunt.

Septimum Capitulum Generalissimum induxit Leo X. Romæ in conuentu Aracœlitano celebrandum anno 1517.In quo requirentibus Imperatore, Regibus, omnibusque propemodum Catholicis Principibus , Vnio Ordinis toties frustra attentata, tandem (licet non omnino plenè ad intentum Ponti-

tifi-

tificis) ad optabilem effectum deducta est. Conuenientibus enim omnibus Patribus vtriusque familiæ, Obseruantibus, Conuentualibus, nec non Clarenis, Amadæis, Coletanis, atque de sancto Euangelio, quibus ex officio incumbebat, in conuentu præfato statuta die: propositum est à Summo Pontifice, an omnes in vnum viuendi modum, sub eodem habitu, eisdem legibus de cætero conuenire vellent? Responderunt omnes Regularis Obseruantiæ Sectatores se in illam vnionem libentissimè ituros, dummodo Regularis Obseruantia nihil omnino detrimenti patiatur, & patres Conuentuales quarumcunque rerum proprietati, tam in communi, quam in particulari, quibuscunque redditibus. Pontificijsque priuilegijs, in manibus Pontificis reuerà & efficaciter renunciarent, ac legibus à Regulari Obseruantia præfixis parere vellent. E côtra, patres Conuentuales, post maturam deliberationem resoluerunt se malle in antiquo more, cum priuilegijs Apostolicis viuere, quam ad Obseruantium viam transire. Videns itaque Pontifex quod ex membris adeo inter se dissentientibus vix posset conflari Religiosum aliquod corpus, in quo spes foret stabilem aliquam pacem & vnionem conseruandi: statuit ex omnibus & solis Fratribus Regulam sancti Francisci purè, & simpliciter obseruare volentibus, corpus Religionis, in heterogenia, adeoque diffidentia, antea membra miserè discissum componere, & consolidare. In quem finem decreuit; vt ab omnibus, & ex omnibus, atque solis Fratribus reformatis in eo capitulo vnus Minister Generalis eligeretur, qui totius Ordinis Fratrum Minorum Minister vocaretur & esset. Ac in eundem finem, quia electio Ministri Generalis secundum Regulam debet fieri à Ministris Prouincialibus & Custodibus, qualificauit omnes Vicarios Prouinciales, & discretos Fratrũ Minorum de Obseruantia, seu de familia, eosque ad effectum electionis huiuscemodi, in Prouinciales Ministros & Custodes instituit, voluitque duos ex singulis prouincijs, in quibus aliqui erant conuentus reformati, electos ab illis conuentibus, voces Prouincialium & Custodum non reformatorum pro ista vice supplere. Concessit insuper Amadeis, Clarenis, & Fratribus de S. Euangelio pro singulis Prouincijs, in quibus habebant conuentus, vltra Vicariorum voces, duas voces pro ista vice tantum: & electionem ab ipsis faciendã declarauit fore legiti-

mam

mam atque canonicam. Cumque virtute huius Decreti electus esset ex Vicario Obseruantiæ in Generalem Ministrum Ordinis Reuerendissimus Pater Christophorus à Forliuio, electionem talite factam ratam habuit, atque electum Apostolica authoritate confirmauit. Decreuitque vt in posterum Ministri Generales essent sexennales, & Prouinciales triennales; qui non possent eligi nisi essent ex reformatis, & vitam ducerent reformatam: irritans quidquid in contrarium attentaretur sicque vniuit omnes reformatos qui vellent Regulam purè, & ad litteram obseruare, in vnum Ordinis corpus, sub vno nomine Obseruantium, & vno capite Generali Ministro, & ex illis omnibus & solis vnum Ordinem Fratrum Minorum sancti Francisci effecit. Segregatis ijs qui non volebant obseruare Regulam nisi relaxatam per priuilegia in aliud corpus sub Magistris Generalibus & Prouincialibus; quos tamen eatenus vniuit Ordini atque Ministro Generali subiecit, quatenus Magister Generalis deberet à Generali Ministro petere & accipere confirmationem.

Atque vt omnes de cætero præcauerentur dissentiones prohibuit sub excommunicatione & alijs pœnis, ne aliquis frater Ordinis alium ratione priorum diuisionum irrisorio, iniurioso aut improperioso nomine agnominaret. Item ne ex nouarum Sectarum introductione contingeret iterū Ordinem scindi atque turbari, vetuit in virtute sanctæ Obedientiæ, ne sine assensu expresso Ministrorum Generalium & Prouincialiū in suis Prouincijs respectiuè, vllæ nouę sectæ aut reformationes in Ordinem de cætero introducerentur. Quę omnia patent ex Bulla Leonis Decimi, quę incipit: *Ite & vos in vineam meam*, quę vocatur Bulla vnionis, data anno 1517. quarto Kalendas Iunij, & Bulla quę incipit: *Omnipotens Deus*, data eodem anno pridie Idus Iunij.



S. Teri-

§. Tertius.

De Origine Patrum Capucinorum.



VIX elapsis septem vel octo annis ab expurgato in hunc modum & consolidato corpore Ordinis Seraphici, quidam frater in Obseruantia professus Mattheus de Basso vel Bassio, nulla preuia Superiorum licentia, viliorem assumens habitum, cum assuto oblongo & acuminato caputio, Romam proficiscitur, & impetrat à Pontifice Clemente VII. licentiam portandi huiusmodi habitum, in eoque extra Ordinem in eremis secundum puram Regulæ Obseruantiam viuendi, ea lege vt singulis annis in obedientię testimonium Prouinciali Ministro Obseruantium in capitulo, vbicunque terrarum fuerit, se pręsentaret: quam licentiam verbotenus datam nullo expectato Pontificis diplomate cœpit Matthęus executioni mandare. cumque eo anno conditioni satisfacturus venisset ad Capitulum Prouinciale Matelicæ celebrandum, vt se Ministro Prouinciali præsentaret, Fr. Ioannes à Fano illius Prouincię Minister eum velut Apostatam carceri mancipauit. De quo per fratres edocta Catharina Ciboa Camerini Ducissa Neptis Clementis VII. Pontificis, minaces ad Prouincialem, & Camerini Guardianum litteras scribit, quibus de læsa sua persona, & Pontificis authoritate (cuius erat Neptis) conqueritur, & minatur se rem ad Poncificem delaturam; nisi quantocius Matthæus e carcere dimittatur. Verum antequam Prouincialis ac Guardianus possent huiusmodi litteris satisfacere, Matthæus aperto à Fratribus carcere, eorum suasu exiuit, atque ad Ducissam se contulit.

Sequenti anno 1526. prouocatus Matthæi exemplo quidam Fr. Ludouicus Forosempronianus, petijt ab eodem Ministro Prouinciali conuentum pro sui reformatione; quo prima vice non obtento, iterat eandem petitionem apud eundem Ministrum publicè coram Fratribus in refectorio, instatque vt ei

licentia Matthæum Bassium accedendi concedatur: addens, si hoc sibi negetur, licentia, quam asseuerabat, à Regula sibi in hoc casu concessam, vsurum, atque vel inuitis superioribus Fr. Matthæum aditurum: quo agendi modo Minister offensus, distulit responsum donec seniores & discretos Patres conuentus desuper consuleret; de quorum consilio fratrem Ludouicũ in vincula coniecit. Sed paulò post mitius & amicabilius agens, mittit Fratres qui ei suadeant mutare propositum, ac Ludouicum amphibologicè assentientem soluit à vinculis, beneuole & humaniter excipit, omnemque fauorem, si acquiescat, ei promittit.

Solutus Ludouicus, primi propositi tenacior, scribit ad Generalem Ministrum pro impetranda reformatione; & beneuolo responso ab ipso recepto, quo promittebatur breui, de cõmuni Patrũ consilio, futura reformatio, modo aliquantisper velit expectare: interpretatur illud Ludouicus tamquam fucatum; ac moræ impatiens scribit ad Ordinis Protectorem, quo etiam se excusante, & respondente sibi non licere huiusmodi Ordinis negotijs, quæ pertinent ad Superiores, sese immiscere: Ludouicus cum fratre suo Raphaele Laico induit habitum Capucinorum; nullaque desuper obtenta licentia, intempesta nocte à monasterio egrediuntur. Miris in via perculsi terroribus, tandem ad Matthæum perueniunt; qui negat se potestatem habere illam habitus formam alijs communicandi, vtpote sibi pro se tantum concessam. Vnde simul omnes ad Catharinam Camerini Ducissam pergunt; cum cuius litteris commendatitijs ad Pontificem Ludouicus cum fratre Romam proficiscitur: petit & impetrat diploma quo Iudouico, Raphaeli de foro Sempronio, ac Matthæo de Bassio de Montefeltrio, conceditur, vt petita, licet non obtenta, Superiorum licentia, habitu tamen semper retento, aliquo honesto in loco à cœtu hominum remoto vitam eremiticam ducere possint &c. Idque super allegata ratione quod in sui *Ordinis domibus non possent vlterius cum sana conscientia morari*.

Displicuit huius diplomatis obtentio Prouinciali Ministro, qui impetrata eius reuocatione, aliud contra ipsos obtinuit, tanquam Apostatas; vi cuius Ludouicum in suam potestatem redigere nisus est: sed aliquot stratagematibus bellicis eluditur, & alijs diuersis medijs impeditur. Ne vero tandem Ludo-

douicus cum socijs, qui ad ipsum accesserant, in Ministri vel aliorum Superiorũ manus inciderent, Camerinũ ad Ducissam se recipiunt, eiusq; cõsilio & auxilio Magistro Prouinciali Conuentualium sese subijciunt, idque (vt innuitur a Bouerio ad annum 1527) consilio Domini Cardinalis Protectoris desuper petito; Atque adeo ab Ordine Minorum Obseruantium totaliter se separant.

Anno sequenti qui fuit 1528. adiutus litteris Catharinæ Ducissæ neptis Pontificis, & Episcopi Camerinensis, Ludouicus, impetrat a Pontifice aliud Diploma, quod incipit: *Religionis zelus*: in quo narratur quod *Professi in Obseruantia, de licentia sui tunc Superioris, iuxta formam litterarum Apostolicarum super concordia & vnione inter Obseruantes & Conuentuales, ad consortium Conuentualium sese transtulerint*: conceditur que eis vitam Eremiticam ducere, habitum cum caputio quadrato gestare, omnes, tam Clericos Sæculares, & Presbyteros, quam Laicos, ad suum consortium recipere, barbam deferre &c. Quæ Bulla cum buccinarum clangore præconis voce in vrbe Camerinensi publicata est: eiusque virtute diuersi ab Obseruantibus ab ijs recipiuntur.

Anno 1529. in Capitulo Alnacinæ celebrato Frater Matthæus de Bassio Vicarius Generalis eligitur, licet inuitus: Quo, eodem adhuc anno renuntiante; Frater Ludouicus foro Sempronianus sigillum cum Superioritate acceptat; atque à Pontifice Vicarius, seu Commissarius Generalis Congregationis Capucinorum instituitur, & confirmatur.

Anno 1530. ad instantiam Fratrum de Obseruantia Pontifex Capucinis receptionem Obseruantium interdicit; quam iterum paulò post concedit; ac postmodum denuo suspendit: quo non obstante anno 1532. Ludouicus & Bernardinus Regini ex Obseruantia, in qua pro reformatione vel in Ordine, vel apud Capucinos obtinenda contenderant, ad Capucinos transuolant, ac Ducis Bucefiensis præsidio se tutantur. Generalis Obseruantium Minister Frater Ioannes Pisottus (quem Bouerius Pisciotam vocat) obtenta contra Fratrem Ludouicum Reginum ac Socios, tanquam schismatum ac factionum Auctores, sententia excommunicationis à Clemente VII. Pontifice, nisi ad gremium Ordinis quantocyus redirent, misso suo nomine Commissario aliquo Generali, primò

eos capere, & in suam potestatem redigere tentat, at irrito conatu; cumque vellet Commissarius excommunicationem contra refugos latam in Nuceriani, oppido euulgare; resistente sibi Duce, coactus est cum Fratribus Ludouico & Bernardino Reginis de Iustitia latæ à Pontifice sententiæ, & rebus Ordinem ac Regulam Fratrum Minorum concernentibus coram illo Principe disceptare: pro vt paulò post etiam præfatus R.P. Generalis Obseruantium cum Fratre Ludouico foro Semproniano Capucinorum Commissario Generali, coram Summo Pontifice congressus refertur. Quo successu postmodum videbitur. Relatam interim constat quæstionis discussionem ad Antonium Episcopum Portuensem & Andream de Valle Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; qui inhibuerunt interim Capucinis vllos ex Obseruantibus recipere, & Obseruantibus vllam Capucinis molestiam inferre. Qua inhibitione non obstante, absque eo, quod vlla à prædictis Cardinalibus data referatur sententia anno 1533. narrantur plures ex Obseruantia ad Capucinos conuolasse. Quo item anno idem Minister Generalis Obseruantium prætendit vi sui officij, & primatus in vniuersum Ordinem Fratrum Minorum, Patres Capucinos sibi subdi debere; cuius prætensioni plurimi Cardinales, alijque viri illustres fauerunt. Quin & ipse Pontifex eorum rationibus aliquantulum permotus fuisse dicitur: præsertim cum alia quoque obiecisse Patribus Capucinis referatur idem Generalis Minister, quibus Ordinis sui, & Superiorum authoritatem minui conquerebatur, dum indiscriminatim, Leues, inquieti; & aliqui etiam flagitiosi Fratres Superiorum censuras effugere quærentes, à Capucinis reciperentur. Quibus an satis plenè & solidè à Ludouico responsum sit infra commodius examinari poterit.

Anno 1534. refertur idem pontifex Clemens VII. ad plurium Principum, ad hoc ab Obseruantibus incitatorum, querimonias, Capucinorum reformationem de Cardinalium consilio extinguere voluisse; sed miraculosa tempestate cohibitum, eos nihilominus, ad satisfaciendum Principibus intra candelæ ardentis spatium Roma exire iussisse. Sed post breue tempus, Catharina Ciboa, alijsque pro eorum reditu instantibus, redire permissos esse.

Anno 1535. Ludouicus Forosempronianus Capitulo celebrando

brando quamdiu potuit reluctatus; tandem à nobili Femina Victoria Columna; quam Fr. Bernardinus Ochinus (qui antea Apostata ab Ordine Obseruantium, ex eodem ad Capucinos transierat) ad promotionem Capituli, spiritu & ipse ambitionis ductus, instigauerat; alijs etiam interuenientibus, compulsus est ad illud celebrandum; accedente præsertim Pauli III. Pontificis mandato, quo illud accelerari iusserat. In quo Capitulo ipse, fingens se Generalatu velle absolui, depositus est; & ne quidem in Definitorem electus, mirabiliter stomachari cæpit. Reuerendo Patri Bernardino Astensi Vicario Generali electo omnia subiectionis signa denegauit; insanis vocibus Patribus Capitularibus minatus est. A quibus exiens ad Cardinalem Tranensem se recepit, querimonias multas aduersus Fratres ac Patres suos deposuit, ac per eum à Pontifice vt aliud rursus Capitulum celebretur, & noua fieret electio obtinuit.

Quo Capitulo anno 1536. celebrato &c, posthabito Ludouico, R. Patre Bernardino Astensi de nouo reelecto, præfatus Ludouicus ambitionis furijs agitatus (Bouerij verbis vtor) Generalemque agnoscere detrectans, nec non & Cardinalis Tranensis, qui Capitulo præsederat, pia monita parui faciens, nullis denique suorum precibus placari valens à Religione tandem expellitur.

Eodem anno R. Pater Vincentius Lunellus in Obseruantium Generalem electus, Patres Capucinos ad vnionem Ordinis reducere nititur, allegatis ad hoc rationibus non contemnendis, & oblatis conditionibus adeo rationabilibus, vt non tantum Ludouicus Reginus, iam ex obseruante Capucinus effectus, ex eis satisfactionem habens in vnionem propenderet; verum etiam ipse Pontifex Paulus III. cum Cardinalibus in eam inclinaretur. Verum cum Pontifex sex Cardinalibus, quorum tres vtraque pars eligeret, rem discutiendam commisisset; Patres Capucini, ab ea vnione alieni non tantum ad eam impediendam apud Deum precibus institisse referuntur; sed talem insuper schedulam pro memoriali & instructione dicuntur exhibuisse Cardinalibus, vt illius vel pudeat meminisse. Quam tamen suo loco examinabimus.

Resoluitur itaque, instante præcipuè Cardinali à Sancta Zepherino qui partis Capucinicæ erat fautor præcipuus, ab ista



sex Cardinalium congregatione: Patres Capucinos ad propositam vnionem non esse cogendos. Editaque à Pontifice nona Bulla cui Clementis VII. Bulla inferitur, qua referuntur primi Capucini de Superiorum licentia ab Obseruantibus ad Conuentuales se transtulisse; inter alia in fauorem Capucinorum decernitur nec Generalem Ordinis Conuentualium Magistrum, nec Ministrum Generalem Ordinis Minorum, vel etiam Prouinciales, vllam molestiam vel immpedimentum posse inferre; nisi quod Generalis Magister Conuentualium, donec aliter ordinatum fuerit, possit illos personaliter visitare.

Nihilominus hoc eodem anno iterum Capucinis à Paulo III. Obseruantium receptio interdicitur. Quod anno sequenti 1537. denuo cauet; & non obstante R. Patris Bernardini Vicarij Generalis Capucinorum supplica, in sententia persistit. Quo item anno Fr. Matthæus Bassius Caputij acuminati Inuentor, eiusdem acumen deponit, & ad Obseruantium Obedientiam redit.

Anno 1538. Bernardinus Ochinus Capucinorum Generalis Vicarius eligitur, in quo officio (licet illud respuere visus sit) anno 1541 confirmatur. Sed hæreticus factus sequenti anno 1542. ordinem suum conatur inficere, eumque turpi Apostasia deserit anno 1542. ac in miserabiles angustias coniecit. Nam anno 1543. Paulus III. Pontifex Bernardini Ochini facto non tantum personæ ipsius, sed etiam Ordini offensus, cum Cardinalibus de Capucinorum ordine extinguendo cogitat; ac in eam rem omnes valde propendent. Sed Cardinales Sanct Zepherini efficaci oratione, ac præcipuè Deo intus operante, animus Pontificis & Cardinalium mutatur. Vocatique Romam ad Pontificis palatium omnes Capucinorum Prouinciales, Pontificem primo duriorem, postea beneuolum magis experiuntur. Quod hic Bouerius immiscet de allatis tot obseruantium habitibus ad Pontificij Palatij vestibulum, quot à Pontifice vocati erant Prouinciales Capucinorum, idque sine vlla commissione, sed ex mero rumore quod vellet eos Pontifex ad Obseruantium Ordinem reducere, vix videtur in homines sanæ mentis cadere potuisse, adeoque est à ratione alienum, & per se incredibile; vt alia ratione ad illud reijciendum opus non videatur.

R. Pa-

R. Pater Franciscus Aesinus hoc eodem anno 1543. Capucinorum Vicarius electus iubet fratrem Ioannem Hispanum de Metijmna campestri, de quo magnam sanctitatis opinionem habebat; à Deo in oratione petere; quem locum & gratiam apud ipsum Capucinorum Religio sibi vendicaret, neque à precibus antea desistere, donec de hoc reuelationem obtineret. Vnde sequenti anno 1544 præfato fratri Ioanni de Metijmna variæ reuelationes factæ referuntur; inter quas ea præcipuè Obseruantes concernit quam de primatum Ordinis, & Capucinorum à regimine Ministrorum Generalium exemptione accepisse perhibetur; quam alio in loco opportunius examinabimus.

Longum nimis foret sic per singulos annos singula referre; quæ ad fratres Obseruantes eorumque Ordinem spectantia suis Annalibus Bouerius interserit; prout ad annum 1545. num. 30. contendentibus in Concilio Tridentino de primatu Ordinis Magistro Generali Conuentualium, & Obseruantium Generali Ministro, de sigillo Ordinis Capucinorum Congregationi dando à Patribus Concilij actum fuisse describit, quod tamen R. Pater Bernardinus Astensis præ humilitate recusauerit. Ad annum 1555. num. 3. & 4. narrat iterum ab æmulis tentatum esse sub Iulio III. Marcello, Paulo, Quarto Pontificibus Capucinos Obseruantibus subijcere. Idemque ad annum 1558. num. 3. insidiosè per quemdam Cardinalem plurimum apud Paulum Quartum valentem, penè ad effectũ perductum, sed à Deo impeditum enarrat. Anno denique 1562. num. 8. refert fratrem Iacobum à Melphicto antea inter Obseruentes Guardianum & Prouincialem, Regulæ suæ obligationes ignorasse donec à Capucinis edoceretur. Et ita vbicunque vel minima datur occasio aliquid ad Obseruantium dimunitionem referendi, non sine exaggeratione in historiam suam congerit; quę, ne Lectoribus longior, quam ipsimet velim, efficiar, aut tædiosus fiam, hic non iudico inserenda. Sed sufficiet intento meo hæc pauca historica ex ipsismet, prò maiori parte, Bouerij annalibus in compendium contraxisse; quæ dũ ipse mira verborum affluentia, plurimis suorum encomijs, Rethorico potius stylo, quam Historico, in magnos duorum tomorum montes conglomerat: cum Spiritu sancto teste: *In multiloquio vix possit deesse peccatũ*; *Prou.* 10. *v.* 19.

an-

ansam hanc dedisse videtur antiquiori nostro Ordini tot eius vilitates sentiendi, ac tam partialem scriptionem refutandi: ad quod seruiet resolutio sequentium quæstionum; quarũ, an sacra Reuerendi Patris Zachariæ Bouerij historia sit seminarium & occasio, quilibet æquus Lector ipsius, & inspector huius nostri Speculi poterit iudicare.

QVAESTIO I.

Quis nam sit verus Ordo Fratrum Minorum.



B ipso Sacrorum annalium titulo quęstiones nostras ordimur, qui licet videri possit nemini prǫiudiciabilis: tamen etiam hęc pauca tituli verba: *Historia sacra, siue Annales Ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci, qui Capucini nuncupantur*: prout ab Auctore suo in progressu operis tractatur, & explicantur, sunt huius, & plurium sequentium quæstionum seminarium. Itaque imprimis suppono tanquam toti mundo notissimum, ex legenda sancti Bonauenturæ de vita sancti Francisci, alijsque Ordinis nostri monumentis, atque Scriptoribus, Seraficum Patrem Franciscum salutis animarum zelatorem præcipuum, secundũ typum trium materialium Ecclesiarum, quas diuino iussu repararat; tres Ordines, seu potius viuendi formulas aut Regulas, videlicet Fratrum Minorum, Pauperum Dominarum seu Clarissarum, & Pœnitentium instituisse, pro reparatione Ecclesiæ Christi, ad quam principalis Crucifixi dicentis: *Vade Francisce repara domum meam, quæ, vt cernis, tota destruitur*: ferebatur intentio; & pro omnium hominũ salute, quam sicut ardentissime desiderabat, ita omnibus medijs sibi possibilibus, promouere nitebatur.

Dico *tres Ordines vel potius viuendi formulas, &c.* quia duo Ordines posteriores, videlicet Clarissarum & Pœnitentiũ, à Santo viro non sunt instituti per modum Ordinum propriè dictorum, idest per modum Congregationum ex pluribus mẽbris inter se & sub vno capite vnitis, ex quibus totum aliquod corpus Politicum seu aierarchicum exurgeret; sed eatenus tã-

tum

tum eos Ordines censetur instituisse, quatenus instituit seu composuit Regulas, secundum quas possent plura Clarissarum monasteria, & plures Pœnitentium congregationes, Regulariter viuere: quæ (vtpote à se inuicem omnino independentes) non aliter constituunt vnum Ordinem, quamquod conueniant in eadem Regula, & vno modo viuendi, per Beatum Franciscum præscripto. Sic vt in rigore loquendo possint dici esse de facto plures Ordines pauperum Clarissarum; itemque Pœnitentium: pro vt sunt plures Congregationes, quæ constituūt singulæ vnum corpus Religionis ex capite & membris compactum. Quia verò omnes istæ congregationes, vel monasteria, conueniunt in eadem substantiali professione eiusdem Regulæ, vulgariter dicuntur vnus Ordo, videlicet specie, propter eandem Regulam seu viuendi formulā quam profitentur. Et hoc sensu possent etiam institui, & esse plures Ordines fratrum Minorum, siue primæ Regulæ sancti Francisci, præsertim accedente beneplacito Summi Pontificis, & authoritate qua illiusmodi Congregationes approbarentur: quæ eadem ratione, propter Professionem eiusdem Regulæ, vnus Ordo Fratrum Minorum nominarentur. Quod si in ista acceptione vocis R. P. Bouerius suum institutum RR. PP. Capucinorum Ordinem Fratrum Minorum sancti Francisci vocare contentus fuisset: nemo, vt arbitror, ei vellet contradicere, vel nomen huiusmodi conaretur extorquere. Veruntamen Beatus Franciscus primum suum Ordinem alia quadam ratione instituit ad similitudinem Ecclesiæ Catholicæ quam instituit Christus tanquam corpus aliquod hierarchicum: ita vt Seraphicus Pater non solum Regulam diuinitus sibi inspiratam tradiderit; sed iuxta eiusdem Regulæ tenorem Congregationem quandam, quam & fraternitatem nominat, per modum perfectæ cuiusdam communitatis & corporis hierarchici fundauerit; in quo talis esset omnium membrorum inter se vnio, vt non solum vno in loco & monasterio Fratres particulares suis Guardianis seu Custodibus subordinarentur; sed insuper Guardiani, eorumque conuentus, subderentur Ministris Prouincialibus; Ministri Prouinciales, cum suis prouincijs, Generali Ministro, tanquam primario totius Ordinis capiti subijcerentur. Huius Ordinis ipse sanctus Patriarcha sicut fundator, ita primum caput seu Minister Generalis extitit: ac de

eo pluribus vicibus promissionem à Christo sibi factam accepit, quod sacra hæc Religio ad vltimum vsque Iudicij diem perseueratura esset, vt habet R P. Vvaddingus ad annum Christi 1213. num. 36 & latissimè & doctè deducit R. Adm. P. Angelus de sancto Francisco. In Sacrario priuilegiorum sancto Francisco concessorum. vide eundem quod proculdubio non de Regula est modo viuendi; sed de communitate ab ipso tanquam capite inchoata sub eius successoribus tanquam eadem moraliter, continuanda debet intelligi.

De Ordine hoc sensu intellecto mouetur quæstio à R. Patre Bouerio in multis suorum annalium locis, non Fratribus Reg. Obseruantiæ, qui supponunt se hactenus semper pro Fratribus Ordinis Minorum habitos in eadem legitima possessione permanere: Nam sicut titulus & nomen Fratrum Minorum semper & vbique sibi vendicauit sacra Religio Regularis Obseruātiæ: ita & rem ipsam hæreditario iure censenda est possidere; vtpote quæ ab ipso Beatissimo Patre Francisco per legitimam successionem, & lineam numquam interruptam descendit, absque vlla vnquam separatione à corpore Ordinis, & Obedientia Prælatorum eius, verorum sancti Francisci successorũ. Supposito enim imprimis, quod corpus Ordinis numquam defecerit (quod necessario supponendum videtur, nisi promissiones Christi Beato Francisco factas in dubium reuocare velimus) pro vt numquam defecisse clarissime ostendit & deducit R. Pater Petrus Marchant super prouincias Germaniæ, Belgij, &c. Commissarius Generalis in sua expositione Regulæ ad cap. 8. titulo 2. quæst. 8 nam totum corpus Ordinis sicut Regulam in sua puritate fouit; ita nunquam in eodem defuerunt qui suæ professioni satisfacerent, ac Regulam purè, & ad litteram Obseruarent, imo pro ipsius Obseruantia zelarent; ipsi præsertim Generales Ministri quos pro vera Obseruantia sēper stetisse in elucidatione nostra Historica iā ante diximus, & Præfatus R.P. Marchant loco cit. probat, & adlongũ declarat.

Hac, inquam, Ordinis Fratrum Minorum perpetuitate supposita, atque eius perduratione vsque ad annum Christi 1517. demonstrata; quis non clarè videat tam Ordinis, quam Ministrorum Generalium, aliorumque successionem in Ordine Obseruantium continuatam fuisse? id enim satis expressè declarauit Leo X. in sua Bulla quæ incipit: *Ite & vos in vineam*

neam

neam meam. In qua, postquam dixisset Sacram Fratrum Minorum Religionem esse velut propriam Celestis Patris vineam, ad quam excolendam nullo vmquam tempore omisisset viros Sanctos, tanquam eius cultores, transmittere: tandem statuit ad sopiendas omnes dissentiones in ea ortas ex Prælatorum diuersitate, ac plurium Fratrum vita non reformata; vt ex omnibus qui Regulam Sancti Francisci purè & simpliciter obseruare volebant, siue Obseruantes de familia, siue Reformati sub Ministris, Amadæi, Coletani, Clareni, vel alio quouis nomine nuncuparentur, vnum corpus Ordinis fieret, eosdemque sua authoritate ad se inuicem in perpetuum vniuit, & voluit sic vnitos, omissa diuersitate nominum prædictorum, Fratres Minores Sancti Francisci Regularis Obseruantiæ, vel simul, vel disiunctiuè de cætero nuncupari. Decreuit insuper vt eligerent ex corpore sic vnito vnum Ministrum Generalem, quem & *Ministrum Generalem totius Ordinis* nominauit, qui cum potestate plenaria omnibus præesset, & cui omnes ac singuli tenerentur, in omnibus quæ non sunt contra Deum, animam suam, & Regulam, obedire. Cæteros vero Patres & Fratres, qui nolebant Regulam sancti Francisci purè & ad litteram obseruare, à corpore Ordinis sic vnito sequestrauit in aliud corpus Religionis sub nomine Fratrum Minorum Conuentualium, quod a Magistris Generalibus & Prouincialibus regeretur. Adiudicato sigillo Ordinis Generali Ministro Ordinis Obseruantium tanquam legitimo B. Francisci Successori. En verum Ordinem Fratrum Minorum, quem Sedes Apostolica anno isto 1517. isto actu vt talem manifestissime declarauit. Sed ne vel minimum alicui dubium relinqueretur, Idem Leo X. adhuc clarius & expressius alia sua Bulla quæ incipit: *licet alias* data eodem anno 1517. 6. Decembris eandem rem determinauit dicens: *Quod ipsi Fratres de Obseruantia, & Reformati, veri & indubitati Fratres Ordinis Beati Francisci, & eius Regulæ Obseruatores semper fuerint, ac diuina fauente gratia sint futuri, sine aliqua interruptione, seu diuisione à tempore, seu edita Regulæ per Beatum Franciscum vsque ad præsens, ac sub ipsius Beati Francisci Regula militauerint, & etiam ad præsens militent; sicque eos in omnibus teneri teneri & obseruari, ac dici debere, decernimus ac mandamus.*

Nihilominus in re tam manifesta audet R. Pater Bouerius

sibi suisque non tantum titulum & nomen Ordinis Fratrum Minorum eadem ratione & verbi proprietate arrogare, verum etiam præsumit ab eodem Fratres Minores Regularis Obseruantiæ excludere. Quod ne gratis dixisse videar: attendantur eius verba quibus vtitur dum videri vult Ordinis Fratrum Minorum historiam contexere: siquidem in apparatu num. 68. hæc verba habet: *Cum neque noua Religio, neque noua Ordinis forma simul cum Capucinorum institutione in Ecclesia ceperit: sed antiquus tantummodo Ordo, olim à Beato Francisco institutus, nouam dumtaxat ex Regularis Obseruantiæ restitutione formam adeptus fuerit: quid alio inter homines Institutore aut Parente opus est? &c.* Quibus verbis quid aliud significat, quam antiquum Ordinem deperdita Regularis Obseruantiæ forma, in ista Reformatione Capucinorum fuisse renouatum & continuatum? Idque non obscurè antea, symbolo lapilli Danielis, cui suam Reformationem comparat, indicauerat: ait enim in eodem apparatu num. 48. *Reformationem Capucinorum instar lapilli Danielis non hominum manibus aut humana prudentia à prioris Religionis monte abscissam; sed diuina prorsus virtute dissectam & elaboratam in vastum Zeraphicæ Religionis montem excreuisse.* Idque (vt arbitror eum voluisse dicere) propter ruinam antiquioris Ordinis, qui iam ex toto (vt sæpius inculcat) à Regulari Obseruantia defecerat. Hoc siquidem Pharmacum in suo Apparatu num. 31. Ordini Fratrum Minorum desperata (secundum ipsum) infirmitate laboranti, præparauerat. *Cum in eo*, inquit, *Regularis Obseruantiæ morbos interdum grassari aduertunt, quibus curandis, quandoquidem communia pharmaca non sufficiunt: vel Generalis purgatio toti corpori indicitur, vel sanior membrorum pars à pereunte corpore seiuncta, in nouum corpus assurgit.* Conferantur nunc ista cum ante dictis de lapillo à prioris corporis monte dissecto, & in montem Zeraphicæ Religionis excrescente; & de noua Reg. Obseruantiæ forma in antiquo ordine restituta: & clare videbitur quo tendat iste Auctor: eò nimirum vt labenti vel collapso iam Fratrum Obseruantium Ordini suam Reformationem substituat (quod non semel claris & distinctis terminis exprimit, vt in progressu patebit) & sic verum ex Patribus Capucinis corpus Ordinis Fratrum Minorum constituat, cuius historiam se velle describere profitetur.

Soli-

Solidior tamen est Fratrum Obseruantium tam diuturna & legitima possessio, quam vt huiusmodi, adeo parum fundatis prætensionibus cedere debeat; quæ quam exiguo iure nitantur, detegendo in sequentibus falsas R. Patris Bouerij suppositiones, & soluendo debiles eius obiectiones, luce clarius apparebit. Pro nunc sufficiet ostendisse continuatam vsque ad hæc nostra tempora Fratrum Obseruantium possessionem ex decreto Eminentissimorum Dominorum Cardinalium Sacræ Congregationis Rituum à paucis annis desuper edito, cuius tenor sequitur.

Cum Procurator Generalis Fratrum Minorum Conuentualium sancti Francisci sex ab hinc annis agrè ferret Ministrum Generalem de Obseruantia in præteritum vsum fuisse, & in præsentiarum vti titulo & sigillo cum inscriptione Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum; recursum habuit ad Sanctissimum, supplicans mandari reformari huiusmodi titulum, tanquam non legitimè dicto Ministro Generali de Obseruantia competentem. Et supplicatione per Sanctissimum ad hanc Sacram Rituum Congregationem remissa; Eadem Sacra Congregatio discussionem huius negotij ad referendum vsque de anno M. DC. XXV. commisit Eminentissimo & Reuerendissimo Domino Cardinali Muto: coram quo firmato dubio de consensu ambarum partium, an titulus Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, quo insignitur Minister Generalis Obseruantium, sit reformandus; vtraque parte sapè sapiùs in facto & Iure desuper informante, & audita; ad relationem eiusdem Eminentissimi Cardinalis Muti, causa accerrimè in plena congregatione discussa; Sacra Rituum Congregatio respondit: nihil innouandum, & Ministrum Generalem de Obseruantia legitime vsum fuisse, & vti posse titulo & sigillo cum inscriptione Ministri Generalis totius ordinis Fratrum Minorum: & ita seruari mandauit anno M. DC. XXXI.
erat signatum.

C. Episcodus Portuen. Card Pino.
T. Tigrinius Episc. Asisien. Secret.

Ex quo decreto patet Ministrum Generalem Obseruantium vsque ad annum 1631. habitum fuisse pro vero Ministro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum, ac consequenter pro legitimo sancti Francisci successore. Vnde meo iudicio mani-

manifestè sequitur Ordinem Obseruantium; cuius ipse erat Minister & Caput, fuisse tunc, & deinceps mansisse, verum corpus Ordinis Fratrum Minorum,

QVAESTIO II.

Quisnam propriè dicendus sit ordo sancti Francisci?



VAESTIO hæc sicut ferè ex toto cum præcedenti coincidit, ita secundum distinctiones ibi factas, ex ijsdem principijs non tam resoluenda, quam resoluta est. Nimirum tam Religionem RR. PP. Capucinorum, quam Obseruantium vocari posse Ordinem sancti Francisci, tanquam fundatoris, si fundator accipiatur pro eo qui Regulam, seu viuendi formulam instituit quam Ordo profitetur & obseruat. Si vero Ordo, eiusque fundator strictius accipiatur, pro Institutore seu Auctore vnius certi ac determinati corporis hierarchici, quod ab ipso tanquam fundatore per legitimos eius successores sine interruptioue vlla vel diuisione descendit: sic soli Fratres Minores speciali iure titulum Ordinis Fratrum Minorum, & sancti Francisci, tanquam Institntoris ac fuudatoris strictè dicti, possident; à quo in ratione vnius ac eiusdem moraliter Religionis originem trahunt.

Sed hæc resolutio non satisfacit R. Patri Bouerio; qui, vt possit Beatum Patrem Franciscum sui instituti Capuccinorum etiam quatenus est quædam Congregatio, & corpus Ordinis auctorem, & fundatorem facere, omnibus vijs ac medijs nititur quoscunque alios huius Reformationis auctores ab eo titulo excludere. Cuius proinde allegationes hac quæstione examinandæ sunt.

In apparatu itaque suorum annalium num. 52. ita scribit: *Si huius Reformationis Capucinorum, de qua nobis res est, genus & parentes inquirimus: Matthæum de Basio primum in ipso limine offendimus, in Minorum Ordine, qui de obseruantia vocatur conscriptum: virum, etsi omni vertutum laude præclarum (vt ipsius vita & gesta testantur) adeo tamen vnius diuini re-*

cti (nescio an *verbi* dicere voluerit) *prædicationis officio addictum, quod quamquam diuino spiritu afflatus, ac cælesti visione impulsus, antiquam habitus formam à Beato Francisco olim institutam, deinde temporum iniuria delapsam, sibi ex sedis Apostolicæ indulgentia vendicauerit: eam tamen nec alijs communicandam accepisse; neque vllam ex ea ordinis Reformationem, ne quidem mente pertractasse, &c.* Et paucis interiectis. *Nam inter ipsa reformationis initia, à pusillo Capucinorum grege, qui ad vigesimum, vel paulò ampliorem vsque numerum excreuerat, Generalis Pastor ad gregis custodiam electus, vix ad secundum & tertium mensem peruenit: cum ea potestate abdicata, simulque paulò post exutus Capucini habitus forma, ad priorem & obseruantia nuncupatæ Religionis obedientiam rediit.*

Num: sequenti subiungit: *post Matthæum, Ludouicum Forosempronianum simul cum Raphaele vterino eius fratre obuios habemus, &c.* Quos licet agnoscat à Clemente VII. obtinuisse facultatem portandi formam habitus à Matthæo primitus assumptã, & alijs communicandi, addit tamen, *consilium & prudentiam eis defuisse qua id perficerent, quo fiebat vt animo suspensi, & quid secum mente agitarent, aut quo pergerent, ignorantes Italiam vagando circumirent.*

Ex quo num. 56. istius Reformationis initia comparat cum initijs Ecclesiæ ad quam Deus primò piscatores, & alios abiectos homines vocauit. Et nescio qua ratione num. 57. inferat Reformationem istam esse prolem propemodum miraculosam, absque Parente progenitam: *Fœcondissimamque virorũ sobolem, quæ, nullum, à quo sata sit, Auctorem agnoscat. Nam, inquit num. 58. quæ hactenus de Matthæi de Basiio & Ludouici Forosemproniani, à quibus Capucinorum origo ducta esse censetur, reformatione commemorauimus, adeo illius propagationi accidentalia sunt; vt nequidquam ad eam pertinere videantur.* Idque quia (vt iterum repetit) Matthæus non acceperat habitus Capucinorum formam alijs tradendam, neque vllam nouæ Reformationis institutionem animo agitauerat: *quæ sanè*, inquit, *ad Reformationis Auctorem constituendum necessaria videntur.* Quasi non posset aliquis esse Pater alicuius nisi intenderet prolem gignere, vel Auctor alicuius Congregationis nisi ipsemet impetraret potestatem communicandi formam habitus, & intenderet instituere nouam Reformationem, atque

que postea semper in ista Reformatione permaneret. *Ludouicus vero Parentis ac Institutoris Capucinorum titulo frui minimè valet* (secundum ipsum num.59.) *Quia Matthai exemplo permotus ad restitutam Franciscani habitus formam posterior accessit: quo fit, vt nec primus Religionis habitus restitutor fuerit, neque ab eo Capucinorum Religio prima Reformationis exordia sumpserit.*

Vtar hic verbis Bouerij num.60. *En quale paradoxum, obscuro planè ænigmate inuolutum: En ordinem sine Parente genitum, absque propagatore diffusum, ac velut alterum Melchisedech sine Patre, sine Matre, sine genealogia admirabilem!* quis ad tanta mysteria non obstupeat, & hoc verborum pondere pressus non obmutescet? conemur tamen verbis magis quam rebus inuoluta ænigmata soluere. Si & mihi liceat interrogare vnum verbum, rogarem Patrem hæc ænigmata proponentem, an Capucinorum Religio ante Ludouicum Forosempronianum iacta habuerit à Matthæo Bassio fundamenta, vel non habuerit? si habuerit respondeo ad ænigma Matthæum Bassium qui ea iecerat fundatorem agnosci & haberi debere: qualem videtur ipsemet Bouerius, sui oblitus, postea agnouisse ad annum 1552. num.25. rationem describendæ vitæ illius allegans *quod antiqua Beati Francisci habitus forma restituta, prima Capucinæ Religionis fundamenta iecerit*. Et licet ibidem *minus Auctorem ac Institutorem* dicat agnouisse; addit tamen, quod *Patrem semper agnouerit*, quasi minus foret Patrem agnoscere, quam Auctorem & Institutorem; & is qui vere totius Congregationis pater sit, & prima fundamenta iecit, non item Auctor, Institutor, ac fundator dici debeat: quid enim ad fundatorem requiritur quam iacere fundamenta?

Si non fuerint antea posita fundamenta; cur eum, qui, licet alieno exemplo, cum debita tamen potestate ea iecit, *facultate nimirum à Sede Apostolica impetrata vt non tam ipse deferre quam alijs impertiri possit Religionis habitum: plurima quoque pro reformatione primis illis turbulentissimis temporibus fortiter ac præclarè gessit*, vt loquitur Bouerius in apparatu num.59. Ludouicum, inquam, Forosempronianum titulo ac nomine, non fundatoris tantum, sed & Propagatoris exspoliat? certè ad annum 1528. num.22. hæc verba habet Bouerius: *qui* (scilicet Ludouicus) *optata tandem Bulla potitus, qua & quadratum*

tum

tum caputium, & antiquum Beati Francisci habitum deferre, *& Reformationis Familiam propagare, & congregationem instituere datum fuit.*

Huic ergo quid defuit quo minus fundator & institutor dici potuerit? nisi forte fundamenta Congregationis ab alio antea legitimè iacta fuerint. Si enim iacta non fuerint, necessario admittendum est, Ludouicum ea iecisse, Capucinorum Congregationem instituisse: adeoque Fundatorem, Institutorem, & Auctorem vocari debere. Præsertim cum subiungat præallatis verbis Bouerius: *ex qua* (videlicet authoritate Apostolica Ludouico concessa) *Capucinorm Religio hoc anno* 1528. *& hac die, qua decima tertia Iulij fuit, Deo bene aspirante sua fœlicissima tulit auspicia.* Quo auspice Boueri nisi illo cui *congregationem instituere Apostolica authoritate datum fuit?*

Sed inquit Bouerius, *tanti nominis gloriam posteriori macula labefactauit*. Quid inde? an si quis omnia fecerit, non solum accidentalia, verum etiam substantialia, ad institutionem & propagationem alicuius Religionis requisita, postmodum autem fiat Apostata, & Ordinem à se institutum impugnet; ob hoc illius Pater, aut Institutor non fuerit, aut esse desinet? An propterea talis filius tanquam nouus Melchisedech sine Patre, sine Matre, sine genealogia, quasi miraculo diuino in orbem introducendus est? Si ita philosophari libet, habebimus domos infantium exposititiorum huiusmodi Melchisedechis repletas.

Esto igitur Reformationem deseruerit licitè Fr. Matthæus de Bassio, si eam verè fundauit (pro vt habitus formam sæpius pro eius fundamento agnoscit Bouerius) quare fundatoris gloria priuatur? Si eam deseruerit illicitè Fr. Ludouicus Forosemproniano inanis gloriæ flatu dispersus, atque ob tumorem animi à Religione pulsus, ad Eremiticam vitam se contulerit; an ideo quod factum erat infectum fieri potuit? & qui fundamenta iecerat, vel saltem opus propagauerat, verè non eius fundator vel Propagator? Vnde salua pace, rem non satis profundè intuitus videtur ipsemet Bouerius, dum in apparatu suo num. 59. ex ante dictis infert *quod Matthaeus & Ludouicus suo facto tenellae Capucinorum reformationi tenebras potius, quam lucem effuderint: eamquè in ipso ortu potius ad sepulchrum rapere, quam in vitam vendicare visi fuerint.* In

quo veritatem non est assecutus: nam licet posteriora facta præsertim Ludouici, in Reformationis detrimentum cedere non diffiteat; priora tamen tam Matthæi quam Ludouici facta potuerunt esse vera facta fundatoris, & Propagatoris: adeoque vt tales non obstantibus posterioribus, agnoscendi sunt. Sicut Pater qui filium à se genitum postea desereret, vel male tractaret, ageretque alia Patre indigna, vere nihilominus pater fuisse & esse ab omnibus agnoscitur.

Neque maioris momenti ratio est quam occasione lapsus Bernardini Ochini anno 1543. num. 43. contra titulum Matthæi Bassij allegat, tanquam Perspicuam; eumque à re & nomine Auctoris, & Fundatoris excludit: eo *quod iam fundata atque instituta religione, ad Generalatus officium fratrum electione, assumptus fuerit*. Quod vtique secundum Bouerium, ipso fundationis iure sibi vendicasset, si fundator fuisset. Ludouicum vero Forosempronianum, *à Generalium* albo, ac multo magis à Fundatoris nomine expellit, quod nulla vnquam Capituli conuocatione, aut Fratrum suffragijs ad Generalis munus, Apostolica dumtaxat authoritate Ordinem moderandum susceperit.

Quis hic non suspicetur pro ratione esse voluntatem, quærique prætextum, dum propter factam electionem ad Generalatum vnus à titulo auctoris excluditur, alter reijcitur propter non factam? Quare enim non posset esse fundator Ordinis, qui nolit, aut non possit eum regere? cum & S. Franciscus se à Regimine excusauerit? Aut quare is cui de iure cõpetebat non posset pro maiori authoritate velle insuper accedere electionem ad Generalatum? denique cur is qui Apostolica authoritate fundasset, non posset eadem authoritate Ordinis à se fundati Generalis institui?

Facessant itaque miracula Religionis sine Parente, sine Propagatore genitæ, quæ num. 60. & sequentibus plus satis exaggerantur: talibus enim miraculis Deus non indiget, Cui tamen gloria detur, qui sicut vsus est Piscatoribus, hominibus abiectis, & secundum mundum inidoneis ad fundandam & propagandam Ecclesiam: ita humili, & secundum hominem abiecto, vsus est Francisco ad fundandum Ordinem Fratrum Minorum; à quo (Deo sine dubio cooperante) manibus fratrum Matthæi de Bassio & Ludouici Forosemproniensi abscis-

sa

sa est Religio RR. PP. Capucinorum; tanto mirabilius quo ille instabilis, hic superbia, & ambitione inflatus Religionem à se inchoatam & propagatam deseruerunt. Neque opus est pro hac Dei gloria amplificanda asserere, quod in eodem apparatu num. 69. habetur: *Nemo in hominum genere hanc ordinatissimæ huius Religionis institutionem sibi adscribere, atque ipsius Auctor appellari possit*. Nam licet *opus sit fateri eam* per R. Patrem Bouerium, *sibi è caelo parentem quaesiuisse* (quia non erat ipse contentus ijs quos Deo disponente, habebat in terris.) Non tamen secundum veritatem fateri possumus, minus debemus; *Deum inprimis, ac tum Franciscum, cuius ea genus est & propago, Auctorem & Institutorem habuisse*, ad exclusionem auctorum & Institutorum, quibus Deus ordinario suo modo agendi vti solet. Dato tamen gratiosè quod Deum & beatum Franciscum hæc Reformatio speciali modo Patres habuerit; quo iure ob id proles ista nomine Melchisedech baptizaretur? quę dici non potest sine Patre introduci, vtpote quem in cœlo quæsitum (nescio an antequam nasceretur) ibidem inuenisset.

Aequè parum fundatus apparet Bouerius in ea, quam circa finem sui apparatus habet, conclusione: *quod cum ita sit planè frustra aliqui præter Franciscum communem Patrem, alium Capucinorum Ordinis institutorem ac parentem inquirant. Qui enim olim totius Ordinis Minorum auctor fuit, is est qui toti Religioni è cœlo præsidet, qui res Ordinis curat, qui Regularem Obseruantiam tuetur; & sicuti eam collapsam videt, nouam prolem excitat, reformationes gignit. Qui denique Religionis à se ab initio institutæ ita se parentem gerit, vt neminem hactenus hoc nomine gloriari permiserit. Quod cum ex prioris Patrum de Obseruantia tum maxime ex huius posterioris reformationis exemplo licet colligere, in quibus & institutoris, & parentis nomen perpetuo siluit.* Adeo vbique Luculentus in verbis suis & elegans est R. Pater Bouerius vt rem non profundius inspicienti mira dicere videatur; an autem vera, examinari meretur: *Frustra*, inquit, *aliqui præter Franciscum communem Patrem alium Capucinorum ordinis Institutorem & parentem inquirant*. Id quod videtur probare: quia sanctus Franciscus neminem hactenus hoc nomini gloriari permiserit, & in reformatione Obseruantium, & maximè Capucinorum, institutoris & parentis nomen per-

 petuò

petuò siluit. Oporteret scire vbi de reformationibus istis Beatus Franciscus locutus fuerit. vt ex taciturnitate Auctorum vel apparens aliquod argumentum ab auctoritate negatiua possit formari.

Ob hoc forte reformat propositionem num. 70. & vltimo sui apparatus: *neque Matthao, neque Ludouico, neque alteri hominum id negotium reformandi commissum fuit, sed B. Franciscus vt se reformatorem ostenderet, non semel Capucinorum habitu indutus apparuit.* Satis hic video verba multiplicari, sub quibus, licet quæram, vix vllam substantiam inuenio. Si enim non commisit Beatus Franciscus Matthæo, vel Ludouico istud negotium; quo iure, non agnitis, imò, & renitentibus Superioribus illud per media adeo extraordinaria contra omnem iuris Ordinem aggressi sunt? & quomodo per ipsos Beatus Frãciscus dici potest hanc Reformationem instituisse? Suppono enim tamquam omnibus indubitatum Beatum Patrem nostrum pro hac reformatione instituenda in terris visum, & cum hominibus humano modo conuersatum non esse.

Concedo interim frustra inquiri alium propriè dictum Ordinis totius Fratrum Minorum Patrem & Institutorem: post Christum enim nemo alius fuit, adeoque nec inueniri potest. Sed oportet distinguere totum Ordinem à singulis suis partibus, & reformationibus: & præsertim à tali reformatione, quę à prioris Ordinis corpore abscissam, dissectam, & separatam se gloriatur. Qua distinctione supposita, puto nec Bouerium, nec vllum alium velle asserere Beatum Patrem nostrum Franciscum potiori iure esse Patrem & Institutorem Ordinis Fratrum Minorum, quam Christus sit totius Ecclesiæ: constat enim quod gradu multo inferiori. Quo tamen non obstante, sine vllo Saluatoris nostri præiudicio Beatus Paulus Apostolus 1. Cor. 4. v. 15. dicit: *nam si decem millia Pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui &c.* Sine eiusdem præiudicio de sancto Ioanne Apostolo, & Euangelista scribit Beatus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, *totas Asia fundauit, rexitque Ecclesias.* Denique (vt plura sileam) nos omnes cum Bouerio sine Christi Domini prçiudicio quotidie Beatum Franciscum patrem ac fundatorem Ordinis nostri, sicut alios Sanctos aliorum Ordinum fundatores nominamus; qui tamẽ Ordi-

Ordines sunt particularia & excellentiora membra Ecclesię à Christo Domino principaliter genita & instituta. Satis enim constat Christum Dominum non ita immediatè omnes filios ad vitam spiritualem genuisse, vel etiam particulares Ecclesias instituisse; quin & rem & nomen Patris ac Fundatoris Apostolis & Apostolicis viris à se genitis communicauerit. Provt primi totius humani generis parentes suis posteris fœcunditatem respectu particularium non tantum personarum, sed & integrarum nationum, communicarunt, & patris nomen non inuiderunt. Vnde & Beatus Franciscus fratri Cæsario de Spira non inuidit, quod Cęsarenis, licet non propriè, sed exemplo solo per ipsum institutis; fratri Amadęo, quod Amadęorum reformationi, quin nec Beatę Coletę, quod Fratribus suis Coletanis, nomen daret.

Quare ergo tam scrupolosus est Bouerius in aliquo Patre, Fundatore, Institutore respectu particularis reformationis admittendo, quam vel ipso teste constat non ab initio Ordinis Fratrum Minorum, sed post trina circiter secula incepisse? cum turpe sit filijs, & ingratitudinis nota non careat, parentes etsi pauperes vel minus honoratos non agnoscere. Suspectum quoque & longe nimis quæsitum videatur velle Cælitibus immediatè genitum videri. Viua siquidem imago & per omnia similis Christo Franciscus, eo modo filios & patresfamilias generat in Ordine quo Christus Dominus Christianos & Ecclesias particulares producit: vtique per Apostolos & legitimos eorum successores. Et qui alio modo se à Christo genitum vel congregationem aliquam aliter institutam obtruderet, meritò suspectus haberetur.

Dicent forte Patres Capucini Regulam suam non à Matthæo de Bassio vel, vel Ludouico Forosemproniano; sed à Beato Francisco conscriptam & traditam esse, hoc fateor, & ex ea parte eos Beati Patris nostri Francisci filios, ac fratres nostros agnosco & diligo, pro vt à Paulo V. Vrbano Octauo & Concilio Tridentino, Fratres Ordinis Minorum, filij sancti Francisci agniti & vocati sunt. Sed licet Norbertini & alij plerique Ordines Regulam à Beato Augustino compositam susceperint; non ob hoc sanctum Norbertum à Fundatorum titulo excludunt.

Cur

Cur ergo hic ita laboratur vt Matthæus & Ludouicus pro Auctoribus & Institutoribus Congregationis Capucinorum non agnoscantur ? Præsertim cum ipse Bouerius demonstratione decima de vera forma habitus sancti Francisci num. 10. dicat, quod eatenus; *Capucinorum ordo legitimam successionis lineam sibi ab exordio vendicauerit: quatenus ab ijs suæ propagationis originem sumpsit, qui inter beati Patris Francisci filios regulæ professione computati, legitima ad sobolem propagandam autboritate fulciebantur*. Qui vtique non sunt alij quam Mathęus & Ludouicus. Videtur hic oblitus sui Melchisedech Bouerius; sed congruè nomen minus congruum in apparatu tanquam in Baptismo impositum postmodum in confirmatione mutatur.

Fatetur in eadem demonstratione num. 8. idem Bouerius (quæ vis est veritatis vt etiam nolenti excidat) *Quod Capucinorum congregatio, quatenus Religionis corpus est, à conuentualiũ & Obseruantium corporibus distinctum* (prout in hac materia considerari debet) *tempore S. Francisci instituta non fuerit*; & hoc bene; sed malè, & non sine Obseruantium iniuria, addit: *Quemadmodum nec ipse Patrum Obseruantium Ordo qui Beato Francisco posterior fuit. Sicut enim hi è conuentualium Ordine, qui primus à Beato Francisco institutus fuit, per reformationem postea, velut rami emersere; ita & Capucini ex obseruãtium familia.* Ita bonus hic Author fucũ facit ignorantibus, dum veritatem dissimulat & obscurat, ne dicam euertit; aut sanè rem vti se habet non intellexit. Esset ne aliquis qui dicere andeat Conuentualium Ordinem, pro vt ille distinctum ab Ordine Obseruantium corpus constituit, videlicet quatenus importat corpus Ordinis, quod non profitetur Regulam sancti Francisci nisi modificatam priuilegijs contra altissimam paupertatem; quod reditus annuos, & bona immobilia possidet; quod per Magistros Generales & Prouinciales gubernatur, esse à Beato Francisco institutum? Hoc sine blasphemia vix arbitror posse affirmari. In ea tamen ratione considerari debet vt spectetur tanquam corpus Ordinis ab Obseruantibus distinctum: nam si conuentuales prout erant ante separationem factam à Leone Decimo, sic non constitnebant distinctũ corpus Ordinis; sed aliud membrum à familia Obseruantium, sub eodem capite cum illa vnitum, nec professione distinctum.

Si co-

Si cogitasset ergo Bouerius, & maturius expendisset verba Leonis Decimi in bulla; *Licet alius* à nobis precedenti quęstione, & ipsomet in eadem demonstratione 10. num. 12. citata: *Quod ipsi fratres de obseruantia, & reformati veri & indubitati fratres ordinis santi Francisci semper fuerunt sine aliqua interruptione seu diuisione, a tempore edita Regula sub ipsius Beati Francisci Regula militauerunt, & etiam ad præsens miliuent.* Non puto quod ausus fuisset assere Ordinem Obseruantium à Conuentualium Ordine (prout nunc intelligitur & vocatur) emersisse, neque suam reformationem, vt existimo, in hoc cum reformatione Obseruantium comparasset: est enim disparitas nimis manifesta. Nam Obseruantes quidem in antiquo Ordine sub legitimorum Superiorum Obedientia inceperunt; & continuo perseuerarunt, nobilioremque eius partem constituerunt; donec Conuentualibus ab Ordine separari malentibus quã Regulam obseruare in sua puritate iuxta professionem; dicti Obseruantes totum Ordinis corpus authoritate Pontificia constituerunt. At valde diuerso modo primi Capucinæ reformationis Authores, vel *à quibus illa reformatio suæ propagationis originem sumpsit* (quocumque eos nomine vocari malit Bouerius) opus illud aggressi sunt: constat enim, ex relatione ipsiusmet Bouerij, eos à principio sese à corpore Ordinis segregasse, ac Conuentualibus iunxisse, antequam aliam Religionem, à prioris Ordinis monte dissectam instituerint. Itaque non potuit R. P. Bouerius, salua veritate, asserere, *Patres* Capucinos *sine aliqua interruptione seu diuisione à tempore edita Regula sub Beati Francisci Regula militasse*, quandoquidem vt ipse fatetur, ab Ordine Obseruantium, qui tunc indubiè erat corpus Ordininis sese diuiserint. Nos autem sustinemus vt clarum ac certissimum, quod à tempore institutæ Regulæ per Beatum Franciscum, idem Obseruantiũ Ordo fuerit, & in Obseruantium reformatione conseruatus, continua serie perdurauerit, & vsque ad præsens perseueret. Sicut corpus infantis geniti censetur idem post quam excreuerit, & post centum annos si tamdiu vixerit; licet humidum radicale & membra partialiter mutentur, nutriantur, infirmentur, sanentur, &c. Non verò si de costa vel alia parte dissecta Deus aliud corpus fabricaret. Quis enim Aeuam dixerit habere idem corpus hominis cum Adamo?

Ne

Ne tamen congregatio Capucinorum in hoc puncto Ordini Obseruantium cedere, imò ne illum non præcedere debeat: vertit se in omnem partem Bouerius vultque per fas & nefas suum Capucinorum corpus eadem ratione à Beato Francisco eiusque ordine continuata successione descendere: quia inquit demonstratione decima sæpe citata num.141. facile colligimus ex verbis Leonis X. relatis de Obseruantibus, *Fratrum Minorum successionem de qua disceptatur, non à personis, aut temporum antiquitate ac prioritate; sed à Regulae Obseruantia petendam esse*. Idemque sæpius repetit & inculcat numeris sequentibus, tanquam argumentum irrefragabile. Verùm, quam sit illud commentitium & malè fundatum vel ex eo patet, quod eodemmodo hæretici, non curando Episcoporum successionem, & Ecclesiasticarum Personarum continuam vnionem; ex fide, quam prætendunt se eandem cum Christo & Apostolis habere, velint se verum Ecclesiæ Christi corpus constituere. Quia tamen ista comparatio odiosa videri posset, & supponuntur hæretici à vera fide desecisse; quæ tamen ex continua successione Episcoporum & traditione non modicè in Sancta Ecclesia probatur: Ponamus aliquem Ordini Sancti Francisci omnino extraneum, nemine Superiorum agnito, sed permittente solo Pontifice, assumere habitum & Regulam Sancti Francisci; Socios congregare, corpus aliquod Religionis constituere. An talis congregatio legitimam successionem habebit à Beato Prancisco eiusque Ordine? tale corpus à Beato Francisco institutum? tales fratres *veri & indubitati Fratres Ordinis Sancti Francisci semper fuisse, sine aliqua interruptione, & diuisione censendi sunt*? credo nec Bouerium hoc admissurum; debet tamen supposito suo fundamento, *quod à Regulæ Obseruantia* (quam supponimus eos habere) *successio petenda sit*. Fatemur ergo sine Regulæ Obseruantia, sine qua corpus religionis mortuum esset, non bene posse consistere successionem & durationem Religionis, sicut sine anima idem corpus hominis non potest durare.

Verumtamen sicut non satis esset pro eodem homine constituendo, quod eadem anima duo corpora à se inuicem distincta & separata, simul vel successiuè informaret; sed requiritur ad morálem eiusdem hominis continuationem, quod in eodem corpore, si non per omnia eadem physicè; ita tamen

mo-

moraliter eadem membra permaneant, vt succedentibus sibi paulatim partibus minutioribus censeatur quoad principalia idem corpus permanere. Ita & in corpore Ordinis Religiosi, vel alterius cuiuscumque communitatis philosophandum est. Parcatur itaque inutilibus disputationibus: nam quidquid secundum veritatem concedere possumus R. Patri Bouerio, & PP. Capucinis, libentissimè & vltro concedimus; videlicet quod ex sua Regula eiusque Obseruantia debeant & possint vocari Fratres & imitatores Seraphici Patris, eorumque Ordinem in bono sensu Ordinem Fratrum Minorum Sancti Francisci posse nominari. Sed vicissim exigimus, ne sacro nostro Obseruantium Ordini nitantur eripere eum titulum, qui ex legitima successione, adeoque potiori Iure & sensu ei debetur. Et ne tam diuturnam pacificam possessionem turbare velint, quod voluisse Bouerium, vel saltem (si credi possit) præter intentionem fecisse, patet ad oculum cuilibet eius annales legenti.

QVAESTIO III.

Quo nomine Ordo Sancti Francisci propriè appelletur.

DETVLIT in mundi exordio protoplasto suo, ac primo hominum parenti Deus omnium Creator, vt creaturis sibi subiectis posset nomen imponere. Siquidem *formatis cunctis animantibus terræ, & volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea, & omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Gen, 2. cap. vers.* 18. *&* 19. Similiter & *Luc.* 1. qui venerant circumcidere puerum, quamuis Zachariam patrio nomine vocandum putauerint; *innuebant tamen Patri eius* tanquam ad hoc ius habenti, *quem vellet vocari eum*. Ita non videtur aliunde huius quæstionis resolutio petenda, quàm à Beato Patre nostro Francisco, cui iure fundatoris competebat nomen Religioni à se institutæ imponere; quod & fecit scribens: *Regula & vita Fratrum Minorum hæc est*, vnde hoc, quo vocauit ordinem suum, ipsum est nomen eius.

Siquidem (vt habet Sanctus Bonauentura cap. 6. vitæ eius) *hac de causa humilitatis forma Franciscus fratres suos voluit vocari Minores, & Prælatos sui Ordinis dici ministros; vt ex ipso nomine discerent discipuli eius, quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent.* Et rogatus à Domino Hostiensi (postea Gregorius IX) *vtrum sibi placeret quod Fratres sui promouerentur ad ecclesiasticas dignitates; respondit: Domine, minores ideo vocati sunt Fratres mei, vt maiores fieri non præsumant.* Conspirat in hoc nobiscum R. Pater Bouerius ad annum 1528. num. 26. dicens *in Minorum Religione nuncupanda illam Dei mentem fuisse: vt qui in eam adscriberetur; potissima in profundissima sui ipsorum abiectione, ac humilitate fundamenta iacerent. Id enim Minorum nomen insinuat, quasi qui cunctis hominibus Minores atque humiliores esse debeant.* Hoc nomen Sacra Obseruantium Religio eodem iure ac successione, quo titulum Ordini Sancti Francisci, hæreditauit; quo fit vt communi hominum sensu, vbi de Fratribus Minoribus inquiritur, Obseruantium habitacula demonstrentur. Atque vtinam talis permansisset in ordine, humilitatis, paupertatis, ac præcipuè charitatis spiritus, vt eo *Fratrum Minorum* nomine à Patre suo sibi indito contenti mansissent Fratres omnes; quod enim illo amplius est, non quidem malum, sed à malo est. Egrè ferebat quondam Apostolus quod inciperent Christiani diuersis nominibus appellari: *Ego quidem sum Pauli, Ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi.* 1. Cor. 10. v. 12. Et sanè si permansisset credentium cor vnum & anima vna, si omnes ad Euangelicam perfectionem aspirassent, pro vt à principio; non erat in Ecclesia opus tot diuersarum congregationum per diuersa nomina distinctione; quæ ferè ex quorundam defectu originem sumpserunt. Pari modo si omnes Sancti Francisci Filij in humilitate ac paupertate in qua fundati erant perseuerassent nullo modo per diuersas reformationes & nomina, opus fuisset eos inter se distinguere; pro vt post factam omnium reformatorum in eodem corpore Religionis, sub eodem nomine Fratrum Minorum Obseruantium, vnionem à Leone X. Patres Capucini ab ipso corpore Ordinis, sub alio nomine se diuiserunt: vnde R. Pater Bouerius pro titulo annalium suorum ponit: *Historia Fratrum Minorum qui Capucini nuncupantur.* In hoc nomi-

ne Capucinorum, tanquam supra nomen *Fratrum Minorum* misterioso, sibi mirabiliter complacet Bouerius, quod circa finem anni 1524. num. 59. desumptum dicit *à quadrato caputio, ac vera Beati Francisci habitus forma, ex qua Capucinorum reformatio nuncupata prima sua institutionis exordia tulit*. Magisque illud celebrant ad annum 1528. num. 23. *Deus optimus Maximus qui diuina prouidentia manu obstetricante reformationis fœtum eduxerat, atque in lucem ediderat, in ipso sua natiuitatis exordio nomen quoque quo appellaretur, atque ab alijs Ordinis reformationibus dignosceretur, non hominum ingenio elaboratum, aut adplacitum inuentum; sed diuina quadam ratione ac consilio excogitatum statuit*. Quia nimirum, vt prosequitur, pueri visis primis huius reformationis fratribus, tanquam patrini, *Capucinos, Capucinos, non tam irridentes quam reuerentes acclamant*, quod defectu artis & industriæ à *Deo proculdubio profectum intelligitur*, secundum Patrem Bouerium, quam diuinam institutionem confirmare nititur ex ijs quæ habet ad anum 1532. num. 27. quod in Calabria puer clamare cœperit: *Fugite Capucini fugite nam qui calipodia ferunt fustibus ad vos armati veniunt*. Quod diuinitus factum autumat num. 28. eo quod apud Calabros, vbi hoc contigit, Capucinorum nomen & appellatio, necdum hactenus audita esset. Quasi nouum foret pueris visis insolitis rebus, & præsertim hominibus habitu singulari indutis, post eos currere, nomen imponere, & acclamare? Idque eo minus mirum apud Calabros contigisse videri debet, quo iam à quatuor vel quinque annis alibi fatetur fuisse impositum & acclamatum. Vnde potius miror ausum fuisse Bouerium illius nominis impositionem comparare cum impositione nominis Israel post luctam cum Angelo, & Sanctiss. Nominis Iesu propter merita Crucis. Amplificat hæc amplius num. 29. volens Deum docuisse pueros Capucinos nomine suo vocare: *perinde ac si Capucinus nihil praeter diuinum, de perenni primaeui caputij, ac consequenter eorum, quae ad caputij sanctimoniam & gloriam illustrandam necessaria sunt, incolumitate decretum, saltem in genere, significaret*. Ad quod applicat vaticinium *Is. 43.* (vel potius trahit) de Iacob dictum: *redemite & vocaui te nomine tuo*.

Quam sunt hæc magnifica rei tantillæ præconia! an non

non meritò timere debuerat qui sic in minutijs dilaudandis exuberat, ne aut parcimoniam maioris materiæ laudis insinuet, aut dum maiora referre voluerit suspectum se reddat de nimia supra veritatem exaggeratione?

Verumtamen quia passerculus, nec pilus capitis, aut folium arboris super terram cadit, sine Dei ac Patris nostri Prouidentia, quam, sicut in magnis, ita & in paruis libenter magnam & admirabilem prædicamus: nomen suum Patribus Capucinis non inuidemus nec rationes nomini accomodatas diffitemur; vix tamen adeo misteriosas possumus apprehendere quam R. Pater Bouerius eas proponit. Satis enim apparet Bouerium rem hanc valde magnam existimasse, quam in principio sui operis singulis ferè paginis repetijsse non sufficit; sed post primum tomum speciali tractatu ex decem demonstrationibus composito pertractat delumptis vndique principijs, etiam ex Beguinarum Bruxellensium libris præcatorijs, ex quibus tanquam illustribus ac primò veris intentum suum conatur demonstrare. Vnde & anno 1528. num. 25. exultanter refert: *velut totius orbis voce congratulatum veram Beati Patris Francisci habitus formam in orbem redijsse*. Sed per pueros, Capucinos, Capucinos acclamantes, qui vtique puerilia tractare solent & acclamare. Parcatur mihi si videri possim magis hic, quam ipse velim, rem hanc eleuare; fateor enim mihi displicere quod viri spirituales & Religiosi, rem adeo futilem ita extollant & vrgeant, quasi felicitas mundi, salus animarum, & splendor religionis à forma habitus & acriminato caputio dependerent. Quod ne videar ex me dicere, adduco verba Bouerij supra num. 24. vt inde perspectum fieret *in ea nominis nuncupatione ineffabili* (an forte ad instar nominis Tetragrammaton?) *quodammodo Deum perfectam huius reformationis laudem collocasse, & ex ore Infantium & Lactentium Capucinorum nomen eduxisse*. Vt verum fatear si miracula subsint in pronuntiatione nominis ineffabilis; eo sunt maiora quo ex ore infantium & lactentium illud eductum est, qui nec effabilia effari poterant. Non credo tamen adeo fuisse paruulos, vt infantes ac lactentes essent, qui sine miraculo illud acclamarunt.

Cæterum vt examinemus misterium quod sub eo nomine latere imaginatur Bouerius; risus potius quam admirationis

excitatiuum videtur quod dicit supra num.26 nomen illud significare paruum caputium, esseque diminutiuum, potius ad habitum quam ad personam spectans, quo illi, *qui Capucinorum nomen sibi vendicant meminerint se profundissimam, quoad excogitari potest humilitatem cum eo simul induere debere; atque humilitatis, & abiectionis signum ac testimonium in capite gestare*. Scilicet caputium maius & longius, diminutiuo nomine à pueris (nescio an non ironicè) expressum, paruitatis & humilitatis symbolum est; quod inter cętera, sapientibus & prudentibus absconditum, pueris tanquam paruulis Bouerius vult esse reuelatum.

Si mihi in hoc negotio aliquid licuisset, maluissem ego existens Capucinus, retinere nomen Fratrum Minorum Eremitarum vel eremiticam vitam ducentium, quo Clemens VII. Pontifex (non puto quod sine diuina prouidentia) in Bulla quæ incipit *Religionis zelus* Patres istos intitulauit: in ipsa siquidem, teste Bouerio ad annum 1532. num.28, *Fratres de vita Eremitica nuncupabantur*. Sed præualuit nomen per pueros impositum, idque non sine diuina prouidentia; fortè ea ratione, quod magis propriè, primarium, vt sæpe vocat Bouerius, huius reformationis exprimat fundamentum.

Ne vero nomen Regularis Obseruantiæ non tantum reformationi nostræ à Spiritu sancto in duobus Concilijs Constantiensi & Lateranensi, sed etiam toti Ordini à Leone X. impositum, nobis tanquam singulare & Ordinis diuisiuum obijciatur; libentor illud cum Capucinorum nomine hic conferam; quia verè non est distinctiuum Fratris Minoris à Fratre Minore; sed tamquam explanans particula, idem prorsus cum fratre Minore significat: cum enim Regulæ Obseruantia sit vita & anima Seraphicæ Religionis; particula *Obseruans* addita nomini fratris Minoris non aliud efficit, quam si voci *homo* addatur *viuens*; ex quo fortè in Bulla: *Ite & vos*, Leo X. ordinauit quod reformati de cætero vocentur *Fratres Minores Sancti Francisci Regularis Obseruantiae vel simul vel discretiuè*; quasi diceret hæc, fratres Minores sancti Francisci, & fratres Minores sancti Francisci de Obseruantia, in idem recidere. Vnde solidior fuit toti mundo causa congratulationis de vita & anima Seraphicæ Religionis conseruata & restaurata per Obseruantium reformationem; pro vt deuoti principes & Re-

ges, imo & ipsi Pontifices de tanto Ecclesiæ bono congratulati sunt; quam de restitutione figuræ & formæ alicuius caputij, à qua nihil sanctitatis dependebat.

Attamen plus satis de nomine disputatum est, cum & Philosophi, tanquam veræ scientiæ inquisitoribus indignam, reijciant de nomine quæstionem. Si eam vel stantisper tractando factus sum insipiens, Puto me excusabilem, quia illi qui tam seriò illam mouent ad hoc me coegerunt. Dico interim de re potius, non tam verbis disputandum, quam operibus coram Deo contendendum esse; apud quem nihil proderit magni nominis vmbra, sed veritas: vt qui Franciscana, Minoritana, Obseruantiæ professione censemur, *studeamus* (vtar ecclesiæ verbis) *& illa respuere quæ huic inimica sunt nomini & ea quæ sunt apta sectari.*

QVAESTIO IV.

Quo fundamento R. Pater Bouerius pro suis Capucinis prætendat titulum Ordinis fratrum Minorum S. Francisci.


EX ante dictis, & præsertim resolutione præcedentium quæstionum, satis apparet R. Patrem Bouerium titulum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci præcipue prętendere ratione Obseruantiæ in sua Reformatione Capucinorum conseruatæ vel restitutæ. Contra cuius Obseruantiam non intendo disputare, quamuis subinde videatur in eius laudibus excedere; vt cum eam præfert omnibus reformationibus quæ antea exstiterunt vt patet ad annum 1524. num. 32. *Si quis vniuersas ordinis Minorum reformationes, quae hactenus emerserunt, altè animo reuoluat; certè nullam reperiat, quae altissimum B. Francisci paupertatem tam ardenter tanquam tenaciter, quam postrema haec Capucinorum reformatio complexa fuerit:* & post pauca. *Ita vt ad priorem Ordinis paupertatem non tam accedat, quam ea fortè excedat:* benefacit addendo *forte*; nam timendum est ne hoc dicendo excedat veritatem. Postea generaliter de Obseruantia lo-

loquens ait; *neque qui varias post condita religionis tempora reformationes, in Ordine institutas, diligentius euoluunt; puriorem, aut secundum Beati Francisci spiritum, perfectiorem vnquam regulae obseruantiam, quoad singula eius capita (quod absque cuiusquam iniuria dictum sit) hac, quae apud Capucinorum reformationem viget extitisse fatentur.*

Homo hic multa dicit, pauca probat, quia cum historico in verbis Rethorem agit. Neque tamen propositi mei est ea improbare vel refutare: nam quo Capucini perfectius paupertatem & Regulam vniuersam obseruant, eo amplius Deum laudo, & ipsos vt veros sancti Patris nostri Francisci imitatores diligo. Quinam autem perfectius Regulam obseruent Deo iudicandum relinquo, qui tanquam iustus Iudex reddet vnicuique iuxta opera sua; vnde cum Apostolo dico; *mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die, qui autem iudicat me Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus qui & illuminabit abscōdita tenebrarum, & manifestabit consilia cordiū; & tūc laus erit vnicuiq; à Deo.* 1. Cor. 4. Illis scilicet qui tales intus fuerunt, quales debuerunt esse, & apparere voluerunt. Puto sine iactantia posse me tribuere Obseruantibus nostris impletionem cuiusdam dicti, quod aliquando Emblemati continenti Aethiopem facie alba laruatum, subscriptum legi: *Aut sis quod appares, aut appare quod es.* Velle enim ab hominibus de maiori Obseruantia & virtutibus laudari, quam verè coram Deo habeamus, vanissimum est. hęc per transennam sint dicta.

Sciebat interim Bouerius ad stabiliendam suam prætensionem non sufficere veram & perfectam Regulæ obseruantiam; scilicet vt sua congregatio vel reformatio possit appellari, & esse verus Ordo S. Francisci per legitimam & nunquam interruptam successionem, pro vt ante eam explicuimus: non enim poterat cōsistere quod noster Obseruantium Ordo in vero statu Ordinis Fratrum Minorum persisteret, & simul congregatio Patrum Capcinorum eiusque Rectores per legitimam successionem à sancto Francisco descenderent. Dum enim sanctus Franciscus vnum tantum Ordinem, eiusque vnicum caput, seu Ministrum Generalem instituerit, vt ex Regula clarè patet: sicut succedere filij non possunt, nisi mortuo Patre vel matre: ita Ordo Ordini, Generalis Generalibus non

potue

potuerunt succedere: nisi Ministri antiqui Ordinis, atque ipsemet Ordo, deficerent & defungerentur.

Vnde quia negare non poterat, externum corpus Ordinis vsque ad prima Capucinorum tempora fuisse continuatum, in eoque continua serie, ac legitima electione Ministros Generales sibi mutuo successisse, habuisse etiam nomen ab Obseruantia; quam sæpe dicit Bouerius esse Ordinis vitam: videtur ad hoc collaborasse vt illud nomen Obseruantię nudum & solum, sine re, Obseruantibus relinqueret; cum plerumque non simpliciter Ordinem Obseruantium vel de Obseruantia nominet; sed *de Obseruantia nuncupatorum*, *vel qui obseruantes dicuntur*, *aut de Obseruantia se vocant*. Quę licet à persona non partiali dicta vel scripta, bono sensu intelligi possint (pro vt huiusmodi terminis in suis bullis etiam Pontifices vtuntur; & Bouerius de suis dicit qui *Capucini nuncupantur*) benigniorem tamen istam interpretationem excludit ipsemet scriptor, vbique mentem suam explicans: dum non solum *inobseruantia vepres*, *regularis inobseruantiæ vitia*; *& virus in Ordinem irrupisse*: *sed etiam totum Ordinem à Regulari Obseruantia excessisse*, *deplorabilem eius statum à Regulari Obseruantiam dilabentem* vbicumque potest suis Annalibus interserit. Conqueritur Bouerius ad annum 1524. num. 59. de R. Patre Carolo Rapinæo Ordinis nostri, quod in historia de origine & progressu Recollectorum decade sexta parte 2. fratrem Matthęum de Basio inter Apostatas relegauerit. Vnde hoc ipse colligat, vel imaginari potuerit ab isto Auctore factum, non satis intelligo; cum bonus ille Pater (quam vtinam Bouerius in scribendi modestia imitatus fuisset) non aliud scribat loco citato, quam, resolutum fuisse à Patribus Obseruantibus (ob furtiuū eius egressum sine licentia) contra Matthæum Basium, tanquam apostatam procedere; & Ministrum Prouincialem eum incarceratum à prætensa apostasia absoluisse: quod scribendo an videri possit Author iste Matthæum inter Apostatas relegasse, iudicet quicunque voluerit. Certe Bouerius dum eum ibidem ab Apostasiæ vitio excusare nititur totum Ordinem falsò inobseruantiæ accusando; & parum Matthæi consulit honori; & quo animo in Ordinem fuerit, quidue de Obseruantia seu vita Religionis senserit, aperte demonstrat, cum ait ad annum 1524. num. vltimo: *Mattheum necessaria*, *ne-*

dum legitima causa, qua ad Pontificem in communi totius Ordinis lapsu (nota) *inuitis, nedum inconsultis Superioribus accederet, impulsum, nemo Apostasiæ condemnare debet*. Simili modo ad annum 1531. excusat Ludouicum, & Bernardinum Reginos, quod præcluso aditu ad reformationem, imo & ad salutem in Ordine Obseruantium; debuerint eandem quærere apud Capucinos. verba eius quæ habentur num. 35. hoc significant: *Cum communi violatæ paupertatis, ac temeratae regulae vitio in Religione grassante, nulli tutum in ea domicilium esse posit: inde cuilibet ab Ordine discessum, & fugam, vel reformationem necessariam fore concludit*. Ad idem spectant quæ à Ludouico Forosemproniano anno 1526. num. decimoquarto antea dicta narrauerat; *de salute res est hanc porro in Religione, quam tum à Beati Patris Francisci institutione, tum à Regulæ præscripto, non parum iam recessisse res ipsa clamitat, me adipisci posse diffido*. Qui ibidem minitans se abiturum sine licentia, nisi ea concedatur, subiungit: *Mens Beati Francisci ea fuit, vt in generali regularis Obseruantiæ naufragio, cuique liberum sit, etiam absque Prælatorum licentia, seipsum a naufragio eripere*. Eodem anno num. 21. refertur idem Ludouicus Cardinali Ordinis Protectori scripsisse litteras, quibus eum *de lapso Religionis statu, Regulæ inobseruantia, ac communi animarum periculo, certiorem reddit*, dicitque *ipsi Ordinis Prælati lapsum fouent, & communem regulæ inobedientiam, &c* Idem indicant verba diplomatis, quod eodem anno num. 43. obtentum refertur ea ratione, quod *nonnullis de causis vlterius in eiusdē Ord. domibus, cū sana conscientia morari non sperauerint*, scilicet Ludouicus Forosempronianus, Raphael eius frater, & Matthæus. Ad annum vero 1534. num. 15. vbi Ludouicus Forosempronianus inducitur disputans contra Ioannem Pisottum de primatu Ordinis, agitque contra præfatum Ioannem Pisottum Generalem, tanquam non legitimè electum, dicitur Ludouicus inter cœtera obiecisse; quo pacto, *Obseruantia tam in capite, quam in membris dilapsa*, primatus *integer illi esse potest*? cunctis amariora sunt, quæ in schedula Cardinalibus oblata ex parte PP. Capucinorum contra Obseruantes, continentur, ad annum 1536. num. 22. vbi Obseruantes *tenebris, & Belial* comparantur, tanquam qui molliter & præter regulam viuunt, & eorum caput, siue Generalis Minister

dicitur *aduersa inobseruantiæ via gradi, regularis Obseruantiæ nec spiritum vitam sibi vendicare*. Poterat ne coloribus magis naturalibus & completis corpus Ordinis tanquam agonizans, imo iam omnino mortuum depingi? Indiget ergo quilibet Lector, ex iam repræsentatis in hoc Speculo, & centum talibus quæ Bouerius passim in Ordinem nostrum iactat, quo tendat huius scriptoris intentio; & an non merito antea dixerim ipsum solum nomen Obseruantiç antiquiori nostro Ordini relinquere: rem ipsam vero, si posset, eripere voluisse, vt suam reformationem per legitimam successionem eidem valeat substituere. Successionem tamen diuersæ prorsus rationis ab ea quæ in Christi Ecclesia inuenitur, & quam nos Ordini nostro vendicauimus, qua corpus simul & anima, per diuersarum partium successionẽ idem moraliter continuatur. Cum enim talem apud suos inuenire non possit, videtur quasi per Pythagoricam transmutationem suç reformationi conatus fuisse adscribere successionem in Obseruantia, quam vocat (pro vt vere est) animam & spiritum Ordinis: quasi spiritus & vita Obseruantiç, relicto antiquiori corpore, in Capucinorum congregationem demigrauerit. Hoc enim indicat ea quç habet ad annum 1524. numero 46. vbi adducto Pauli loco ad Galatas 4. *Quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum*: sic applicat, *vt qui vel ad Regulæ Obseruantiam anhelarent, vel Ordinis reformationem expeterent; ceruicosi, perturbatores, factiosi, nouatores à cæteris haberentur atque adeo ab ipsis Generalibus Ministris ac Superioribus, qui Ordinis relaxationem fouebant, malè acciperentur*, & vberius demonstratione 10. de vera habitus forma num. 14. *Ex Pontificis declaratione, qui veri regulæ cultores sunt, tametsi tempore posteriores, ij dumtaxat à tempore editæ Regulæ, ad legitimum Beati Francisci semen pertinere censentur. Hoc enim pacto ipse quoque Apostolus, de Israelitis disserens, ait: Rom. 9. Non enim omnes, qui ex Israel, ij sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrhæ, omnes filij. Et ad Galatas sribens: Gal 4. Cognoscite ergo (inquit) quia qui ex fide sunt ij sunt filij Abrahæ. Quod si Apostolo id de Israelitis dicere licuit: cur id quoque Pontifici de minoribus sentire æquum non fuit? eosque tantummodo Beati Francisci filios decernere: qui B. Francisci vestigia, ac virtutes sectantes, perfectè ipsius Regulam obseruarent*.

Sic

Sic depingit Boucrius Obseruantes, tanquam *Secundum carnem natos, & filios carnis*, vt suos Capucinos natos secundum spiritū & filios promissionis esse concludat. Verum esto:

—— Pictoribus atque Poetis
Quidlibet audendi semper fuit aqua facultas.

Historicis tamen eiusmodi audaciam nemo concessit. Quapropter oportuisset ipsum suæ professionis memorem à scriptione talium abstinere, quæ non solum à charitate, verum etiam à veritate quam longissimè aberrant; vt in resolutione sequentium quæstionum facillime ostendemus.

QVAESTIO V.

Qui fuerit status Ordinis Obseruantium circa illud tempus quo exorti sunt Capucini?

SVPPONENDVM hic est quod ante in elucidatione historica §. 3. circa initium annotauimus: ab eo tempore quo Leo X. omnes zelatores pro Regulæ Obseruantia, quocumque nomine vocarentur, in vnum corpus Ordinis, sub vno & eodem capite, & nomine Obseruantium coadunauit, quosque in sua Bulla quæ incipit: *Ite & vos, zelantes pro domo Dei Israel, succidisse Lucos, demolitos esse delubra, introducta reformationis norma*, testatus est ac in altera Bulla, quæ incipit: *licet alias*, eodem anno 1517. data *indubitatos Fratres Ordinis sancti Francisci, eius regulae Obseruatores semper fuisse, & esse tunc temporis declarauit; & tales semper futuros diuina fauente gratia sperauit:* ad summum septem vel octo annorum spatium intercurrisse vsque ad exortum reformationis Capucinorum; cui iam tum grassantem in obseruantiam occasionem & initium dedisse vult Boucrius: adeoque miserè sua spe frustratum fuisse Pontificem de perpetuitate Obseruantiæ in ordine quem tanto laborare & sollicitudine expurgauerat & consolidauerat. Quis tamen credat tam breui tempore Ordinem qui tot zelosis viris abundabat,

& recenter ab ijs sequestratus erat, qui puriorem Obseruantiam auersabantur: vsque adeo defecisse, vt non tantum inobseruantiæ vepres (quod citius potuisse fieri non diffitemur) sed & accreuerint luci, & abominabilia transgreßionis publicæ delubra ad lapsum & ruinam totius Ordinis in tantum inualuerint, vt desperatæ religioni nullum superfuerit remedium, nisi ex membris adhuc sanis ab ea in nouum corpus separatis, nouus Phœnix ex iam combusti Ordinis cinere exoritetur, & sic Ordo in Successore renascens conseruaretur, pro vt Bouerius hancrem speculatur.

Verum si bonus iste Pater tam oculatus fuisset in ijs bonis obseruandis quæ habentur in chronicis Ordinis ad honorem Ordinis Obseruantium, sicut in notandis imperfectionibus, si quæ fuerint hic & ibi in aliquibus membris, & etiam Superioribus: potuisset proculdubio videre statum Religionis nostræ Florentißimum fuisse eo tempore quo ipse eandem vel penitus concidisse, vel ad minus collabescentem, atque ad totalem ruinam inclinantem describit.

In primis Marcus Vlysiponensis in suo Chronico parte 3. lib.8. cap.48. refert quod in eo Capitulo Generalißimo, in quo Leo X. dedit sigillum Ordinis Patribus Obseruantibus, *repertum sit in tantum excreuisse zelum reformatorum, Deo semper sua gratia magis ac magis aspirante ac fauente bonæ illorum ac regulari vitæ,* vt Vicarius Generalis per Italiam sub se habuerit viginti quinque Prouincias in quibus Obseruantia seruabatur, quæ Prouinciæ continebant septingentos Fratrum Conuentus. Alter autem Vicarius ab alia parte montium sub obedientia sua habuerit viginti Prouincias: quæ eo tempore quo ista scribebat (quod fuit circa annum 1556.) vsque ad quadraginta nouem excreuerant ab illa parte montium, & ab hac vsque ad numerum trigesimum dicit excreuisse. Vnde colligitur mortuum non fuisse corpus, quod post exortum Capucinorum adhuc habebat accretionem, pro vt vsque modo vitaliter accrescit. Quæ res euidentißima & omnino indubitata apparebit, si placuerit considerare statum ordinis & Obseruantiæ qui in singulis mundi regionibus circa ea tempora fuit.

Atque vt à nostra Prouincia Germaniæ Inferioris tanquam nobis notißima exordiamur, quæ circa annum 1529. paulo

post exortos Capucinos à Coloniensi diuisa est. Testatur chronicum Ordinis 4. parte lib. 1. cap. 42. in ea floruisse circa hæc tempora Fratrem Amandum à Ziricea, qui in Prouincia Coloniensi, tunc adhuc indiuisa, summa cum ædificatione vixit, cum vtilitate docuit primus Lector in Conuentu nostro Louaniensi, rexit cum maximo fructu Prouinciam, multum pro Obseruantia laborauit, & circa annum 1525. iterum Lector Louanij valde sanctè ibidem obijt & sepultus est. De quo conuentu (vt ex vngue leonem agnoscas) meretur notari quod Reuerendissimus P. Gonzaga dicit 3. parte sui chronici agens de Prouincia Germaniæ Inferioris, in primo Conuentu, qui est Louaniensis. [Tanta pietas ac Regularis disciplinæ obseruantia viguit in hoc conuentu, vt nedum inter Brabantiæ, sed & totius Ordinis Conuentus, iure optimo haberetur celeberrimus, essetque suæ sanctitatis odore vbique diffuso celebris; vsque adeo vt qui solo aliorum relatu, tantæ sanctitatis fragrantia perfunderentur, eo cum mira pietate sua dona, calices, libros, ornamenta ecclesiastica, pretiosissima quæque vltro transmitterent, etiam ex partibus remotioribus. Nec sane suppressum oportuit dictum Reuerendissimi Patris Francisci Angelorum nostri, olim Ordinis Generalis Ministri, ac tandem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui lustratis Prouincijs plurimis, ad suos reuersus istud prębebat de hoc conuentu testimonium: lapides Conuentus Louaniensis Sancti sunt, & nescio quam sanctitatem redolent. tantam ibi (dum visitaret) repererat pietatem, & humilitatem; tantam Religionem, tantum spiritus feruorem, tantam concordiam, vt instar aciei ordinatissimæ, omnibus intrantibus admirabilis hic locus redderetur, ac intuentes etiamnum in stuporem raperet, atque compungeret.] Circa quæ verba hoc specialiter notandum est, visitationem illam Reuerendissimi Patris Francisci Angelorum contingere debuisse, vel immediatè ante exortum Capucinorum, vel ijs iam exortis, quo tempore ipse fuit Minister Generalis.

Prosequitur Reuerendissimus Pater Gonzaga ad nostrum propositum laudem Conuentus istius & Prouinciç nostrç. [Quantum profuerit hic vnicus Conuentus, nedum Ordini nostro Seraphico, sed etiam Ecclesię Romanę, id luculenter docuit experientia; fuit enim fons & seminarium veluti foecun-

cundissimum quo toti Prouinciç abundè prouidebatur : si enim pietas & deuotio quçrebatur, Louanij inueniebatur; si doctrina & eruditio petebatur, ex hoc loco latissimè defluebat.] Quç omnia euidenter declarat catalogus illustrium virorum qui existo conuentu prodierunt; quem ipse subnectit. Ego vero ne iustò longior fiam, & meç Prouinciç Prçconem agere videar, hic subticeo.

Vt tamen appareat isto tempore, quo Bouerius dilapsam toto ordine Obseruantiam proclamat, eam in hac nostra Prouincia Viguisse, omitti non debuit Reu. Pater Matthias Vveynsen quartò nostrç Prouinciç Minister, bis ante diuisionem factam anno 1529. & bis post tertium Commissarius Generalis totius familiç, & semel Nationis Germano Belgicç: qui proinde viguit in ordine ante reformationem Capucinorum, imò ante vnionem Ordinis; vixitque doctrina, moribus, zelo disciplinç & Obseruantiç Regularis celeberrimus, vsque ad annum ad minus 1555. nam ad minus tredecim Generalibus Capitulis inter fuit, decies Alpes emensus est, nullus Italiç, nullus Germaniç, nullus Galliç, Britanniæ, Scotiç; Hyberniç angulus est quem non peragrauit; vt de ipso testatur Reuerendissimus Pater Ioannes Mahusius ex eadem Prouincia primus Dauentriensis Episcopus nominatus & Martyr, in epistola dedicatoria prçfixa expositioni sancti Bonauenturç in Lucam. Fuitque à consilijs Mariç Hungariç Reginç Caroli V. Sorori Gubernatrici Belgij, circa exortos ibidem tumultus Anabaptistarum, prçsertim Amstelrodami, in quibus comprimendis ei auxilio fuit, misso illuc R.Patre Bartholomçο à Middelburgo, qui cum tanto feruore & fructu contra eos, & alios hçreticos prçdicauit, vt iure diceretur totam ciuitatē istā in fide Catholica conseruasse & confirmasse.

Venerat ille R. P. Bartholomçus ad sacrum nostrum Ordinem circa annum 1525. & professus in Prouincia nostra Germaniæ Inferioris; in ea adeo clarus verbo, opere, ac prophetiç spiritu vixit, vt postquam trimestris spatio sepultum eius corpus effoderetur, in honorificentiori sepulchro collocandū, inuentum sit integrum, suauissimum spirans odorem, ac in ore habens rosam pulcherrimam; cuius testimonium testes oculati dederunt, specialiter sacerdos quidam Fr. Guilielmus Escholier sub fide Sacerdotij se vidisse deposuit.

Frater

Frater Martinus Vander Kelen aliàs dictus à Turnhout si bi-
tieeri etiam non potuit, qui varijs officijs laudabiliter persun-
ctus magno cum fructu in conuentu Louaniensi sacræ scriptu-
ræ ac Theologiæ Prælector fuit, Reuerendum Patrem Fran-
ciscum Titelmannum discipulum habuit duplici sui Magistri
spiritu pietatis scilicet & eruditionis decoratum; qui licet po-
stea ad RR. PP. Capucinos transierit, antea tamen apud Ob-
seruantes doctrina & sanctitate claruit, vt fatetur ipse Boue-
rius, neque eum refert (vt plerosque alios) de dilapsa in Or-
dine ac Prouincia sua Obseruantia conquestum fuisse.

Taceo R.P. Adamum Sasbout, qui licet trium linguarum
Græcę, Latinæ, & Hebraicę peritissimus; summus tamen pau-
pertatis amator, præter breuiarium & biblia, cum suis scri-
ptis, non aliud admittebat, obijtque non sine magna opinio-
ne sanctitatis anno Domini 1553. ætatis suę 36.

Sileo fortissimos confessores huius nostrę Prouincię Germa-
nię Inferioris, qui vbicumque locorum Hęreticis per Belgiū
grassari incipientibus, pręcipuum sese murum opposuerunt
(testibus plerisque huius patriæ & Aeui scriptoribus) quorum
plurimi Christi fidem vsque ad sanguinem & mortem Gorco-
mij, Alcmariæ, & pluribus alijs in locis propugnauerunt.

Ex quibus omnibus puto me infallibiliter posse concludere
obseruantiam Regulæ in hac nostra Prouincia Capucinis exo-
rientibus, nec deficere incepisse, multò minus fuisse extin-
ctam: vtpote quæ tam eximios mundo & cœlo fructus protu-
lerit.

Nec minorem de Coloniensi Prouincia opinionem conci-
pere oportet; vtpote cui Louaniensis conuentus adhuc incor-
poratus erat quando Reuerendissimus Pater Franciscus An-
gelorum tantam in eo disciplinam & Regulæ Obseruantiam
inuenit: quæque non ita multis antea annis tam bono Regu-
laris obseruantiæ, ac sanctitatis odore vniuersum mundum
resperserat, vt ad petitionem Iacobi primi Regis Scotorum
missus sit ad illud regnum Reuerendus Pater Cornelius à Zi-
ricæa cum sex alijs religiosis eiusdem Prouinciæ Coloniensis,
ad fundandam ibidem Regularem obseruantiam, qui purita-
te & candore vitæ suæ sanctæ, asperitate, & pœnitentijs quas
faciebant, mirabile populis illis exemplum virtutis dederunt;
vt habetur 4. parte Chronici lib. 1. cap. 62. inter quos pręfatus
[illegible] pater
[illegible]

Pater Cornelius etiam miraculis clarus illud eximij in altissimam paupertatem amoris specimen dedit, quod ædificatum magnificum monasterium Aedimburgi ex deuotione populi, per ipsius conciones concepta recusauerit, donec per instantiam Archiepiscopi, præfati regni Primatis, á sua sanctitate, licet inuitus, cogeretur acceptare.

Nec minus floruisse Ordinem ac Regulę Obseruantiam circa hæc tempora in regno Angliæ, patet ex eodem chronico parte 4. lib. 3. vbi cap. 1. statim in initio hęc habentur.

[Seraphica Religio Sancti Francisci florebat olim in Regno Angliæ, tam propter multitudinem Conuentuum, quam etiam propter sanctitatem vitę illorum, qui eos inhabitabãt, in quo splendore Patria ista perseuerauit pluribus annis vsque dum inimicus naturę, seminator hęresum, & auctor discordiarum misit in cor Henrici Octaui istius nominis anno 1536 contra Euangelicam & Apostolicam doctrinam dimittere legitimam suam coniugem Catharinam, & nubere Annæ Bolenæ &c.] Quo tempore confratres nostri ibidem probati sunt velut aurum in fornace, adeoque Christo ac eius Ecclesię fideles inuenti sunt vt Rex ille integros Conuentus carceribus tradiderit, multos inedia consumpserit, plurimos grauissimis tormentis affecerit, nemine á fide deficiente, vel á Sedis Apostolicæ obedientia; quo luculenter declarauerunt quam solidum Religiosę Obseruantiæ fundamentum in regulari antea conuersatione tempore pacis collocauerint. Quæ omnia loco citato per multa consequenter capita legi possunt.

In eodem Chronico 4. parte lib. 1. cap. 39. refertur circa idem tempus iu Saxonia summopere floruisse Religionem Obseruantium, ita *vt intra modicam temporis spatium per bonum eorum exemplum & feruentes prædicationes octo Prouinciæ in istis partibus erectæ inuenirentur, inter quas magnus numerus bonorum Religiosorum Deo seruiebat*, vsque ad exortas Hæreticorum persecutiones præcipuè contra Obseruantes Saxoniæ sanctæ Crucis, qui, tanquam perfecti Obseruatores S. Euangelij permanserunt semper in fide constantissimi, & paratissimi ad qualibet tormenta pro Christi nomine perferenda, vt ibidem habetur. quæ omnia circa tempora, quibus exorti sunt Capucini, contigerunt.

Si Franciam inspiciamus, inuenimus in ea hoc tempore floruisse

floruisse Reuerendum Patrem Gilbertum Nicolai, aliàs dictum Gabriel Maria, qui primus existens Commissarius Generalis post factam vnionem ex hac parte montium, summopere Regularem Obseruantiam zelauit ac veras reformationes promouit, vt videre licet eadem 4. parte chronici lib. 1. cap. 59. in cuius fine hæc verba habentur. Finaliter post exantlatos multos in Religione labores, quibus plures honorabiles commisiones executus fuerat, & fecerat plurima ad gloriam Dei, exaltationem Sanctæ Ecclesiæ, & bonum nostri Ordinis, ædificatis pluribus Conuentibus in diuersis locis, plenus annis, magis autem meritis ac sanctis operibus, quæ fecit, non solum existens Prouincialis Prouinciæ Aquitaniæ Tholosanæ, sed etiam bis canonicè electus Vicarius Generalis, & postmodum Generalis Commissarius, quieuit in pace, reddens animam Deo suo Creatori anno gratiæ 1531. 27. Augusti. Ex quo potest facile considerari qualiter sub tali Prælato, qui non tantum virtutibus, sed etiam plurimis miraculis enituit, in Prouincijs Franciæ profecerit & viguerit Regularis Obseruantia.

In Hispanijs adeo clarum est Regularem Obseruantiam hoc tempore summopere viguisse, vt non sit opus illis verbis pro huius rei declaratione. Videri potest liber quintus eiusdem quartæ partis chronici qui plenus est laudibus Obseruantium & Reformatorum, qui ibidem tunc temporis floruerunt, alijque libri fere omnes consequenter. Specialiter lib. 2. cap. 1. refertur R. P. Ioannes de Zumaraga professus in Prouincia Conceptionis, in qua pluries fuit Guardianus, Definitor, ac etiam Prouincialis tantum fuisse zelatorem Regularis obseruantiæ, vt offerente Carolo V. Imperatore, ad vestes, edulia, & alia necessaria copiosam eleemosynam, conuentui, cuius Guardianum agebat, eam pro tunc non necessariam recusauerit, & cum magna Imperatoris ædificatione alijs pauperibus erogari curauerit. Fuit hic primus ab eodem Imperatore nominatos Mexicanus Episcopus, quem honorem, amore paupertatis & humilitatis summopere renuit donec Superiorum mandato coactus in Indias profectus est, vbi maxima passus est, & egit cum alijs Ordinis nostri, præsertim Prouinciæ Flandriæ Religiosis, pro gloria Dei, & animarum salute; vt patet ex eius litteris datis anno 1531. ad Ministrum Genera-

Item & Patres Obseruantes in Capitulo Tholosano congregatos. Videri etiam possunt ad hanc rem, in commentario R.P. Sedulij ad vitam sancti Francisci litteræ fratris Petri de Gandt datę in Mexico anno 1529. 27 Iunij, item Reu. Patris Martini à Valentia qui ab eodem Carolo V. in Indias anno 1524. missus, anno 1531. scripsit etiam litteras ad Reuerendum Patrem Matthiam Vveynsen Commissarium Generalem Cismõtanum (de quo supra egimus) quibus explicat fructus innumeros, quos Patres, & fratres Obseruantes, sua religiosa conuersatione & prædicatione faciebant. Obijt is ibidem anno 1534. cum antea diem mortis prædixisset, positis genibus in nuda humo in morem supplicantis, cuius corpus amplius triginta annis incorruptum mansit, miraculis innumeris coruscans, ob quæ ab Indis tanquam Apostolus in maximo honore habetur.

Centum talia in Chronicis Ordinis nostri vidisset Bouerius: si tam ad bona & sancta, quam ad aliqua reprehensibilia oculos conuertisset. Vidisset in eadem parte chronici lib. 1. cap. 14. & 15. quanta Obseruantes egerunt in Indijs Orientalibus; quomodo sua religiosa conuersatione infidelibus lucem dederint, & fidelibus præluxerint. Vidisset ibidem cap. 31. & 32. Quæ de Occidentalibus Indijs ab Obseruantibus illustratis iã ex parte dicta sunt.

Vidisset etiam in Hispanijs inter plurimos alios sanctos Patres ac Fratres Obseruantes beatum Nicolaum factorem prophetiæ spiritu, virtutibus & miraculis clarissimum, qui degustata RR. Patrum Capucinorum Obseruantia ad suos redijt, & sanctè mortuus est, de quo alias opportunius.

Neque etiam in ipsa Italia (in qua exorti sunt Patres Capucini eorumque Institutores, vel propagatores oculatius forte nænos Ordinis, quem deserebant, introspexerunt), vsque adeo iacuisse Ordinem eiusque disciplinam & obseruantiam credibile est, vt fratribus via ad perfectionem, nedum ad salutem præcluderetur; quod Bouerius cum suis non tantum hominibus vulgaribus, sed & ipsis Pontificibus persuadere conatus fuit. Præter alia quæ de breuitate temporis, inter vnionem Ordinis sub Leone X. & Capucinorum initium medij, in principio huius quæstionis diximus, vel illud argumento est: quod ipsemet Bouerius satis indicet ducentos circiter viros

zelosos.

zelosos ex Obseruantia ad Capucinos transmigrasse, inter quos plures fuerant Guardiani, Definitores, & Ministri Prouinciales apud Obseruantes. Quos si iungamus ijs qui in Ordine Obseruantium remanserunt (neque enim puto Bouerium existimasse quod omnes boni & zelosi ab Ordine recesserint, cuius contrarium sępe insinuant,) mirum sanè quomodo Religio tot cordatis ac zelosis viris abundans ad interitum tendere, & omni auxilio vel in Italia destituta dicatur.

Ad annum Domini 1537. num. 19. describens Bouerius Ludouici Righini vitam ait: *Sæpissime etiam ad Annuntiatæ monasterium, in quo Patres de Obseruantia nuncupati religiosissime versabantur, communi pietatis sensu se conferebant* (Ludouicus & Bernardinus Regini) *quo tandem factum est vt sancta hac honestaque conuersatione velut cælesti vinculo attracti eiusdem Religionis habitum susceperint*. Insuper præfatus Ludouicus inter Obseruantes degens sæpius in exstasim raptus, aliquando etiã sursum in aera corporaliter eleuatus & multa prophetico spiritu prædixisse refertur, conuentum S. Francisci Thurij noui, cui Guardianus pręerat pane cælesti refecisse. Ex quo patet non tantum salutem, sed etiam sanctitatem apud Obseruantes, ante & post exortos Capucinos, obtineri potuisse. Idẽ Bouerius ad annum 1539. numero 4. in vita Ioannis à Fano appellat Ordinem Obseruantium *pinguem Minorum Obseruantium agrum* ad quem hoc virgultum translatum fuisse dicit. Et ibidem nu. 46. eundem Deo gratias agentem introducit quod se vocauerit ad Obseruantes, quos vocat *generationem quærentium faciem Dei, ambulantium semitam rectam, commorantium inter lilia castitatis, discumbentium in cœnaculo altissimæ Paupertatis*. Quomodo ergo ad exortum Capucinorum pinguis ille ager adeo sterilis factus fuit vt nõ nisi spinas & tribulos inobseruantiæ germinauerit?

Anno 1549. num. 15. de Francisco Aesino dicit, quod Deo intus illustrante & vocante ad sacrum Minorum Obseruantiũ Ordinem se contulerit, in quo Deo strenuè militans magnam Regularis Obseruantiæ ac cęterarum virtutum studio, laudem consecutus sit; pro vt etiam Franciscum Titelmannum ac plurimos alios valido inspirationi safflatu ad Obseruãtium Religionem asserit vocatos, & suauiter compulsos.

Quomodo ergo Ludouicus Forosempronianus, & si qui alij de Ordinis relaxatione & lapsu conquesti sunt, potuerunt salua veritate ita miserum eius statum exaggerare, vt dicere ausi sint, se non posse in eo salutem suam operari? Non enim vocat Deus quemquā ad aliquem Ordinē in quo non possit salutem consequi. Vnde constat quam illud gratis de Obseruantium Ordine illi dixerint: cum vix moraliter contingere posit tanta relaxatio in aliqua Religione, vt qui seriò vellent, cum diuina gratia non possent animas suas saluare: esto enim proniores simus ad defectus & vitia imitanda, quam ad virtutes; deberet tamen esse valde exorbitans eorum malitia, qui homines alicuius spiritus ad Regulæ transgressionem etiā nolentes moraliter cogerent: Neque puto Boucriam huiusmodi iniquitatem Obseruantium Ordini impingere voluisse.

Insuper manifestum est ex antepositoProuinciarum & Nationum statu, non defuisse viros sanctos & religiosos etiam inter Superiores: Vtque à membris ad caput ascendamus; constat vel ex ipso Bouerio eo tempore ministrum Generalem Ordinis fuisse virum religiosissimum & zelosissimum pro Regulari Obseruantia, scilicet Franciscum Angelorum siue Quinnionium filium Comitis de Luna ex reformata Angelorum Prouincia electum in Hispania in Capitulo Burgensi anno 1523. de quo sic loquitur chronicum Ordinis 4. parte lib. 1. cap. 39. *qui cum maxima prudentia rexit Religionem Obseruantium quinque annis, sub Pontificibus Adriano VI. & Clemente VII. à quo postea anno 1540. creatus fuit S.R.E. Cardinalis tituli sanctae Crucis in Ierusalem; & fuit Protector Ordinis Obseruantium.* Ipsemet Bouerius ad annum 1526. num. 19. eum describit, *Virum omni virtutum genere ornatum, à Clemente VII. deinde ob praeclara merita in Cardinalium numerum cooptatum.*

Hæc visum est de superabundanti oculis beneuoli Lectoris exponere, vt videri possit Ordinis Obseruantium non fuisse caput languidum, neque cor mœrens, minus à planta pedis vsque ad verticem defuisse sanitatem; sed e contra potius Ordinis corpus fuisse integrum & sanum in capite & in membris, valens & volens, iuxta sui status & nominis exigentiam, Regulam obseruare. Incumbebat alioquin ijs qui tam liberè ordinem denigrabant probare ea quæ dicerent: cum

cum enim *quilibet præsumatur bonus donec probetur malus*: non satis erat inobseruantias, relaxationes, imo totalem lapsum obijcere, nisi potuissent ea plenius probare. Quam verò in accusando leuiter processerint, singulatim inferius examinabimus.

QVAESTIO VI.

An Obseruantium Ordo aliqua reformatione indiguerit, & quid circa hoc Leo X. Pontifex dispusuerit?

CVM non encomia mei Ordinis describenda, sed speculum Apologeticum Annalibus Bouerianis opponendum assumpserim: propositi mei est sic defensioni instar incumbere, contra ea quæ falsò Ordini adscribuntur; vt tamen ea quæ vera sunt nolim dissimulare, nedum negare. Fatendum igitur est nullum in hoc mundo institutum, adeo sanctum & firmum esse; quin (etiam vigilantibus & quantumuis renitentibus Superioribus) paulatim abusus & deordinationes irrepant.

Cum ea sit rerum humanarum licet diuinitus institutarum, conditio, vt paulatim flaccessant & deficiant, nisi tempestiuè & prudenter remedium adhibeatur. Sicut humanum corpus quantumuis solidum & robustum ab intrinseco deficit, etsi externa contraria non adessent; nisi præseruatiuis fomentetur, & curatiuis aliquando remedijs restauretur: imo quacumque diligentia & cautela adhibita, post naturæ per peccatum sauciationem, tandem corrumpi necesse est. Ita pertracto in eandem ferè necessitatem spiritu, *corpus quod corrumpitur aggrauat animam, sensum licet multa cogitantem* ac proponentem *deprimit* & vsque adeo debilitat, vt totum hominem in ruinam ac mortem præcipitet, nisi secundum Apostolum *reformemur in nouitate sensus nostri* *Rom.* 12. ac remedijs diuinæ gratiæ, exercitijsque spiritualibus quotidie innouemur.

Absit ergo à nobis Pharisaicum supercilium, quo dicebat se non esse sicut cæteri hominum, vt à communi humanarum

rerum

rerum conditione velimus Obseruantiam nostram eximere; nedum omnino sani nobis videmur, alijsque videri volumus periculosius infirmemur. Corpus Religionis ex membris tam multiplicibus & varijs, tam diuersæ corporaliter & spiritualiter, temperiei, humoris, inclinationis, iudicij, &c. ex membris ex sese ad corruptionem inclinatis compactum, temporum diuturnitate, varietate euentuum, tentationum atque oppugnationum multiplicate, nunc in hoc nunc in illo subinde indisponi & lædi est quodammodo necessarium: pro vt Christus dixit *necesse esse vt veniant scandala*. In cuius collegio sub tanti magistri tyrocinio, irrepebant contentiones, æmulationes, & indignationes. In Principe Apostolorum etiam post acceptam Spiritus Sancti abundantiam S. Paulus Apostolus inuenisse se dicit quod reprehensibile erat. At in ipso nascentis Ecclesiæ exordio, quando *credentium erat cor vnum & anima vna*, murmura nihilominus Græcorum aduersus Hebræos audiebantur. Similia, & grauiora mala paulatim Ecclesiam Christi & Ordinem Seraphicum inuaserunt; præsertim ante illius sub Leone X. factam expurgationem. Nec volo corpus Ordinis per reformationis Obseruantium medicamentum ita sanatum asserere, vt factum fuerit deinceps incorruptibile, quod nullis imposterum infirmitatibus ac vulneribus esset expositum. Hoc nemo prudens in seipso cogitare, minùs intelligentibus potest velle persuadere.

Confiteor itaque & non nego, confiteor Ordinem Obseruantium suos paulatim contraxisse næuos, membra hinc inde habuisse languida, irrepsisse aliquas inobseruantiæ infirmitates; inter bonas herbas zizania accreuisse; quin & spinas ac tribulos bonæ sementi non modicum spiritualis incrementi impedimentum attulisse, & graue multoties intulisse detrimentum. Non sic tamen, quin hoc boni & zelosi Fratres agnouerint, & ipsi Superiores, Capita Religionis, membrorum defectui condoluerint. Absit vt credamus tot viros doctissimos, prudentissimos; zelum Dei & salutis animarum habentes, quibus corpus Ordinis abundabat, ex quibus etiam supponendum est capaciores ad conseruandum & promouendum commune bonum electos fuisse; ita obdormiuisse & obstupuisse, vt remedium adhibere neglexerint, & volentibus opem ferre restiterint, vt Bouerius nimis inconsiderate vbi-

quæ effutit, & à suis in magnam tanti ordinis eiusque Prælatorum iniuriam & ignominiam refert esse. Improperatum. Esset enim periculosioris infirmitatis indicium malum suum non sentire, signum desperati morbi est medicinam omnino respuere: in medicos & chirurgos insurgere est phrænecticorum.

Sed nunquid omnibus omnia, quæ libebat remedia, adhibere, cuilibet pro suo captu plasmare, secare, resecare permittendum erat? Scimus humanum corpus per frequentiora medicamenta debilitari potius quam sanari; quibus tamen aliqui se nimium assuefaciunt, & alijs persuadere conantur. Scimus insuper quotidianas pharmacorum mutationes impedire quo minus vnum vel aliud plenum possit habere effectum. Imprudentiæ est, ne dicam stultitiæ, adhibere, imò & permittere acres & violentas medicinas, vbi parua dieta & mitiora remedia sufficerent. Quid dicam de ijs qui statim pro curatione parui doloris aut vulneris volunt euellere, secare, & resecare? Sanè adhibere talia vbi ea non exigit extrema necessitas, non chirurgorum vel medicorum, sed tortorum potius mihi esse videtur. Quid eo vsque progredior? cum nulla ferè vera medicamenta possint adhiberi sine nociua corporis alteratione, meritò videntur qui pro minimo dolore quem sentiunt statim ad medicamenta recurrunt; & amplius illi ridendi sunt qui vix sumpto vno remedio statim debilitato corpori & stomacho aliud super infundunt.

Credo intelligentes facilè visuros quo tendam. Reformationes omnes, præsertim notabiles & extraordinariæ, id sunt religioni, quod venæ sectiones, potiones medicæ, cataplasmata, & cetera medicinalia sunt corpori: illas itaque promiscuè sine delectu, & graui causa adhibere; quid est aliud quam incommodare, alterare ac debilitare corpus Religionis sine necessitate? Illudque mille iudicijs & obloquijs hominum exponere? qui meritò supponunt remedia huiusmodi non adhiberi nisi infirmitates & mala grauiora in Religione inualuerint, vnde ex reformationibus, præsertim publicis & extraordinarijs, non irrationabiliter colligunt, ordinem cui adhibentur supra quam ante putauerint fuisse deformatum.

Hac credo de causa sanctissimus Papa Leo X. post eam Ordinis expurgationem, qua membra nolentia secundum puri-

tatem viuere à corpore Ordinis separata sunt; post sanorum membrorum solidiorem inter se vnionem, ac totius corporis confirmationem, pro remedio preseruatiuo indiscretam nouorum remediorum applicationem prohibuit. *Bulla te & vos in vineam meam. Ne*, inquit, *ex nouarum sectarum in dicto Ordine forsan introductione facienda, Ordinem iterum in rixas deuenire oporteat; volumus, & in virtute sanctae Obedientiae firmiter praecipimus & mandamus, quod de caetero nullae nouae sectae, vel reformationes in dicto Ordine introducantur aut fiant absque Ministri Generalis aut Prouincialium Ministrorum reformatorum, in suis Prouincijs respectiuè, expresso assensu. Ita tamen quod dictae reformationes ipsi Ministro Generali, & Prouincialibus reformatis per omnia, iuxta regulam subijciantur &c.* considerabat namque sapiens Antistes, & experientia magistri iam immediate didicerat; quantis tam in Ordine, quam extra illum, & reformatio Obseruantium dedisset occasionem alterationibus, & perturbationibus reformatio tamen tam necessaria, vt sine ea essentia Ordinis consistere non posset: vtpote quę secundum nomen suum, non tendebat nisi ad Regulæ & Professionis Obseruantiam, adeoque ad ordinis vitam (vt eam sæpe Bouerius vocat) conseruandam: Reformatio quę nullis acrioribus medijs aut remedijs vsa est; quæ non fecit ab Ordine separationem (licet hoc diuersis in locis male, & contra veritatem Bouerius insinuet & supponat) sed semper sub Generalium Prelatorum atque Ordinis obedientia mansit, licet authoritate Concilij Constantiensis subtracta fuerit regimini Ministrorum Prouincialium, quorum aliqui, inobseruātię labe infecti, minus illi fauebant.

Considerabat etiam, quam subinde leuiter aliqui, etiam zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam, reformationes, & innouationes meditentur ac machinentur, non sine sua & aliorum perturbatione. Videns enim homines plerumque inexpertos, qui nunquam prouincias vel conuentus rexerunt, & vix seipsos regere nouerunt, velle alios ad suum nutum & iuxta suum iudicium reformare, & qui se non possunt tales efficere quales volunt, cupere alios habere perfectos secundum suam phantasiam per media & modos à se conceptos. Quo sæpe fit, vt præcurrente zelo, quo eum prudentia eorum assequi non potest, dum vitæ spirituali accidentalia, austerita-


tem,

tem, vestium vilitatem, breuitatem, strictitudinem, ne dicam singularitatem per petias & lappas inutiles modos, seruandi paupertatem sibi arridentes indiscreto zelo introducere contendunt, lædant obedientiam & respectum superiorum, turbent pacem, frangant charitatem, & sic contra axioma ab omnibus merito recipiendum, substantiam Religionis propter accidens corrumpant.

Horum indiscreto zelo occurrere volens Pontifex imperauit merito vt nulla imposterum secta vel reformatio in Ordinem introduceretur sine expressa licentia Ministrorum; quorum prudentiæ ac zelo (vtpote ex Reformatis secundam bullam ab ipso editam eligendorum) confidebat, quod nihil inordinatum, rixas & turbationes generans admitterent, nihil etiam quod ad obseruantiæ iam stabilitæ conseruationem & promotionem conduceret, impedirent.

QVAESTIO VII.

An expectationi Pontificis & rectè rationi quoad reformationes admittendas Ordinis Superiores satisfecerint.



On defuisse Superiores officio suo probat status Ordinis quem iam descripsimus; in quam licet non diffiteamur hinc inde irrepsisse abusus aliquos: eos tamen communibus remedijs, statutis, monitionibus, correctionibus, & præcipuè bonis Prælatorum exemplis corrigendos esse, & correctos fuisse asseuero, idque ex chronicis Ordinis, atque ipsomet Bouerio ostendi potest, qui ad annum 1542. num. 48. refert fratrem Laicum à Capucinis ad Obseruantes regressum, & inter eos de proprietate conuictum, secundum culpę modum & quantitatem punitum fuisse; Suppono enim non requiri ad hoc vt reformata sit Religio, imò & sancta, quod in ea nulli defectus, vel defectuosi inueniantur, sed vt agniti non tolerentur, & non relinquantur impuniti.

Insuper sicubi fortè in Prouincijs aliquibus maioribus re-

medijs opus fuerit, nec in ijs adhibendis Superiores Ordinis Prælati defuerunt: diuersas enim in diuersis locis, ante & circa Capucinorum exordia, reformationes, non tantum permiserunt; sed etiam promouerunt & instituerunt Id patet ex Reuerendo Patre Gonzaga 1. parte Titulo de Reformatorum atque Recollectorum exordio vbi hęc habentur: *Non dissimilem à Patribus Capucinis ducunt, nec in vnius vnguiculi latitudine illis nostri reformati cedunt*. Quorum originem sic describit.

[Cum frequentius Patres Obseruantes tum antiquiores à Patribus Conuentualibus conuentus derelictos, tum quoque alios de nouo à principibus ędificatos, ex Apostolica authoritate admittere cogerentur; nec sui status normam ob fratrum numerositatem, ea felicitate in illis (quod maiores augustioresque essent) qua in à se antiquitus constructis, qui multo minore mole constabant, seruare possent, ne vetustus Obseruantiæ nitor labefactaretur commaculareturque, neue eius vigorem remitti contingeret, neue etiam plurimorum Patrum vota, quos maximi eius vitę tędebat, cassa redderentur: Reu. Adm. P. Martialis Boulier Vltramontanus Generalis Vicarius, in quadã Generali Congregatione cum legatione apud Castellæ prouinciam celebrata, ex Patrum quorum id munus erat, consensu, humiliores quasdam domos, quas recollectas vocant, ab hominum frequentia semotas atque regulari vitæ ducendæ omnino accomodas, in singulis Hispanię tum prouincijs, tum quoque custodijs, in quibus ij Patres atque Fratres, qui arctioris vitæ desiderio tenerentur, commorari possent, anno Dominicæ Incarnationis 1502. selegit cõstituitque.

Cum autem hoc decretum optato fine caruisset, cęperunt quidam Patres sui status zelores nouas custodias, sub regulari tamen obseruantia, atque sub strictissima paupertate, in quibus iuxta primæuam Obseruantium institutionem victitare possent erigere. Quamobrem prouinciarum proceres, ne dilabentibus ab eis ad custodias fratribus, illæ aliquando pessum irent opera R. P. fratris Francisci Angelorum totius Minoritici instituti Generalis Ministri, adiuti, præfatas domos recollectas in omnibus Hispaniæ Prouincijs sub Clemente Septimo, ac circa annum Domini 1525. denuo instituerunt e

quæ

quæ vsque in hodiernum diem sanctissimæ perseuerant (*nota haec scripta esse circa annum* 1587.) habitant siquidem in illis egregij Patres ac Fratres qui orationi spirituique ex professo vocant, sanctissimamque paupertatem, silentium, humilitatem, charitatem, pręcipuè circa infirmos, atque cæteras virtutes diligentissime colunt, inutilesque discursus maximè fugiunt. Ad quorum exemplum Itali quoque Patres quosdam conuentus, ad idem opus selectos, atque in custodias, sub proprio patre Custode ex præfati Clementis Septimi Pontif. Max. auctoritate redactos, ijs fratribus, qui primitiuorum Patrum obseruantium vestigijs insistere vellent, tradiderunt. Est nihilominus aliqualis differentia inter istos, atque illos: nam isti reformati dicuntur, peculiarique Custodi immediatè subsunt atque quibusdam concessionibus & priuilegijs summi Pontificis Clementis Septimi gaudent: illi vero recollecti appellitantur, atque Prouincialibus Ministris adamussim parent nullumque Custodem admittunt, nec pręfatis Clementinis concessionibus gaudere volunt. Consurrexere etiam tum ijs temporibus vel paulò ante, tum quoque postea integra quędam recollectorum Prouincię apud Hispanos: videlicet sancti Gabrielis Arrauidæ, pietatis, sancti Ioseph, sancti Antonij, atque sancti Ioannis Baptistę in quibus antiquus ille Regularis obseruantię vigor, paupertas, atque viuendi modus maximè relucent. Quibus tamen maiorum conuentuum, atque Obseruantum Prouinciarum grauitas, religio, compositio, disciplina, doctrina, atque debita, iuxta summorum Pontificum declarationes paupertas in nullo penitus cedit.]
Ex quibus meritò infert Reuerendissimus ille Pater valde gratam Deo, & singulariter curę eidem esse sacram Religionem Franciscanam, quam, [etsi ad tempus à recto tramite aliquantulum deuiare sinat; non tamen in Deformationis barathrum labi permittit. quinimo sibi perpetuò ex illa septem millia virorum seruat, qui non curuant genua sua ante Baal, quique pro tantę matris honore, dignitate, atque nitore zelantes eam in rectam, vnde deflexerat, viam felicissimi reducunt. Idque omnino in causa est, non autem (vt aliqui mali autumant animi leuitas, aut incostantia, vt tot rami nobiliaque germina, puta Clareni, Amadæi, Obseruantes, Reformati, Capucini, & alij ex ea prodierint. Quę tamen omnia,

Patribus Capucinis demptis, totius Ordinis Generali Ministro, iuxta Franciscanæ Regulę pręceptum (quo cauetur vt vniuersi Fratres vnum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum & seruum totius fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire) paruerunt, eiusque dicto audierunt, & modo quæ ex ijs supersunt ad nutum audiunt.]

Quibus omnino similia habent chronica Ordinis tertia parte lib. 9. cap 33. vbi refertur zelosos quosdam fratres instituisse certas custodias, in quibus strictius, & cum maiori vitæ austeritate Regula seruari posset, absque eo quod fratres à Prouincijs suis separarentur. Cui reformationi iam exortę in tantum ibidem dicitur fauisse R. P. Fr. Franciscus Angelorum dictus Quinnionius Generalis Minister Ordinis, quando Capucini inceperunt [vt conuentus eis dederit, sua authoritate firmauerit particularia statuta, ad maiorem paupertatem, & longiores rationes in communitate eis ordinauerit, bonoque exemplo ipsemet pręiuerit, vtpote professus et ipse in sancta prouincia Angelorum. Ostenderitque magnum zelum augendi suum Ordinem quem regebat, et splendorem eius conseruandi, manus auxiliares ijs prębens qui volebant austerius viuere, tanquam verus pater & pastor qui debet desiderare bonum spirituale eorum qui sunt sub eius cura & protectione.] Quę omnia ferè ad verbum habentur in chronicis loco citato.

Vnde non debebant tam sæpe conqueri Authores Patrum Capucinorum, neque Bouerius ita inculcare paupertatem, totamque Ordinis disciplinam fuisse *neglectam & pessumdatam nemine opem ferente*. Minus Ludouicus Forosempronianus tam fortiter imaginari debebat, vt moræ fieret impaciens, *verba sibi dari & vanas pollicitationes* à Generali Ministro reformationem promittente; pro vt ad annum 1526. num. 20. & 21. non tantum refert, sed etiam approbat Bouerius. Nam contrarium ex his patet, quæ non tantum Pater Gonzaga, sed chronica referunt ante exortos Capucinos, & eodem anno quo inceperunt, contigisse. Pro vt etiam in eodem capite 33. chron. fit mentio reformationum & reformatorum in Italia sub Clemente VII. qui Authoritate Pontificis & fauore Ministri Generalis dicuntur fuisse multiplicati, & statum

ac

ac ſplendorem Ordinis manu tenuiſſe. Et conſequenter poſt Prouincias pietatis & ſancti Gabrielis altera in Portugallia reformata narratur per Fratrem Martinum ex Prouincia de Murcia nobilem genere, zelo religionis nobiliorem, quæ appellata eſt Prouincia Dominæ noſtrę de la Rabida, in qua Fratres Obſeruantes ante Capucinos caputium acuminatum aſſumpſerunt virtute Breuis Pontificij, fauentibus Portugalliæ principibus. Sed per aliam Bullam iuſſi ſunt illud deponere, & alijs Patribus Obſeruantibus, quorum Obedientiæ ſuberant, ſeſe in habitu conformare; quod vt fecerunt, plurimam ab ipſis Obſeruantibus beneuolentiam experti ſunt, & adiuti fuerunt vt ibidem refertur.

Eadem omnino referuntur & confirmantur 4.parte chronici diuerſis in locis, ſpecialiter lib.1. cap.39. Libro vero 2.eiuſdem 4.partis cap.57. & vltimo iſtius libri fit mentio Venerabilis Patris Martini Guſman nobilis Hiſpani, qui ex ſeruitio Caroli V. Imperatoris ad Dei ſeruitium in Ordine noſtro Seraphico ſe transferens, contra amicorum ſuorum voluntatem; propter eorum importunitatem, de licentia ſuorum Superiorum, ſe contulit ad Romanam Prouinciam, in eaque pacificè & ſanctè vixit omnibus gratus, prę ſertim Patribus reformatis. Cui reformationi initium & formam dediſſe narratur doctiſſimus & zeloſiſſimus Pater Stephanus Molina etiam Hiſpanus & præfato Patri Martino Guſman familiaris.

Patet etiam ex lib.5. eiuſdem 4.partis cap.59. quantum R.P.Fr.Gilbertus Nicolai, alias Gabriel Maria dictus, primus poſt vnionem Commiſſarius Generalis Ciſmontanus, pro Obſeruantia, reformationibus, earumque ſtabilitate & pace laborauerit, & quanto fructu, idemque conſtat ex hiſtoria R. Patris Fratris Caroli Rapinæi de origine & progreſſu fratrum Minorum reformatorum & recollectorum, vbi deſcribitur quomodo reformatio per omnes mundi partes ſeſe dilatauerit.


Ex quibus omnibus facile patet Ordinem Obſeruantium eiuſque Superiores, non tantum non reſtitiſſe reformationibus, vbi & quando eas neceſſarias eſſe, vel etiam ſolum conuenire bono animarum & Ordinis iudicabant; verum etiam eas fouiſſe & inſtituiſſe. Vnde prę ſumi debet ſi aliqui aliquando aliquibus obſtiterint, vel non putaſſe eas fuiſſe neceſſarias

aut conuenientes; vel tali modo & à talibus fuisse attentatas, quod viri prudentes ac suæ Religionis amatores non existimauerint aliquid inde boni posse sperari: nam sæpissimè vel in primis reformatorum Auctoribus, vel saltem in eorum asseclis & sectatoribus, multa humana misceri solent, & tegi zelo austeritatis & maioris perfectionis: dum aliqui, *qui non sunt de semine virorum illorum per quos salus facienda est in Israel*, 1.*Mach*.5. volunt & ipsi facere sibi nomen, & qui aliàs defectu verarum virtutum, aut discretionis & prudentiæ necessariæ ad Fratrum regimen non assumuntur, pertæsi humilitatis religiosæ, specioso reformationis prętextu ad prælaturas emergere moliuntur; pro vt proh dolor! Subinde docuit experientia. Vnde non tam libere debuit effutire Bouerius ad annum 1532. num 60. Obseruantes *ab ipso quoque reformationis nomine, nedum re, abhorruisse*. Siquidem timere poterant, & debebant, viri prudentes ne vitium, vt assolet, virtutis exuuijs obtectum latenter irreperet; & in viridantibus reformationis folijs anguis proprij sensus latitans, singularitatis, contumaciæ, ac dissentionum venena diffunderet, nam bene quidam cecinit.

Discat inexpertis sapiens diffidere rebus,
Insidijs nouitas semper amica fuit.

QVAESTIO VIII.

An rectè Bouerius oppositiones contra Capucinorum reformationem à Superioribus factas descripserit?



PLVRIMVM interest quibus terminis & epithetis res aliqua siue à concionatoribus, siue ab Historicis exprimatur; nam idem opus quantumuis honestum, verbis tamen minus congruis expressum, facillimè potest malum aut scandalosum videri: quapropter sanctissimus Pater noster cap.9. regulæ monet & exhortatur Fratres *vt in prædicatione quam faciunt sint casta & examinata eorum eloquia, ad vtilitatem & ædificationem populi*. Quam-

mo-

monitionem si R. Pater Bouerius attendisset, vt pote etiam historicos concernentem, credo quod verbis mitioribus ac modestioribus in describendis oppositionibus contra suam reformationem factis vsus fuisset: Nam vbicumque eas describit semper odioso persecutionum acerbissimarum nomine & epitheto illas intitulat: quasi non potuisset suorum gloriam & trophæa satis exaltare, nisi Patres Obseruantes faceret tyrannos, humanorum & diabolicorum consiliorum inuentores vel executores. Malo ipsiusmet verbis rem totam ob oculos ponere. Nona linea in apparatu num. 46. de ista reformatione dicit: *tantis in ipsa natiuitate calamitatibus fuit affecta, vt nec ipsi domestici tenellæ aetatis doloribus parcerent; sed in eius potius necem conspirarint.* Ad annum 1524 num. 46. cum dixisset aliquos à Ministris reformationem poposcisse, subiungit: *Vt Pauli verbis vtar; quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum; inde fiebat vt qui vel ad Regulae Obseruantiam anhelarent, vel Ordinis reformationem expeterent, ceruicosi, perturbatores, factiosi, nouatores à caeteris haberentur; atque adeo ab ipsis Generalibus Ministris ac Superioribus, qui Ordinis relaxationem fouebant malè acciperentur.* Ad quorum confirmationem ex 3. parte chronici Ordinis lib. 9. cap. 15. (ipse male habet 35.) profert vaticinium cuiusdam Patris non ignotæ sanctitatis (cuius nec ipse, nec Author chronici nomen adscribit) qui Reuerendissimo Patri Fratri Francisco Lycheto Obseruantium Ministro Generali in faciem improperasset, quod, cum propugnare deberet Zelatores Regulæ, è contrario eos oppugnaret ac persequeretur: atque eidem prædixisset excitandam fore à Deo, ipso inuito, aliam reformationem, quodque ipsi & alijs Ministris durus esset, extra Ordinis Obedientiam; ipse vero Dei & sancti Francisci vltionem non effugeret.

Optarem hic Bouerium adeo oculatum fuisse in videndis ijs quæ pro honore Ordinis scripta reperiuntur, sicut fuit in ijs quę contra Obseruantium Ordinem facere videntur. Legit ipse, vel potius legisse imaginatus est à R Patre fratre Carolo Rapinęo decade 6. parte 2. suæ historiæ Fratrem Mathęum Bassium inter Apostatas fuisse relegatum; cuius nec apparentiam inuenio, & non vidit illum Patrem Recollectorũ

&

& Reformatorum historiam scribentem decade 4. parte 5. numero 8. profitentem expressissimè, *Patrem Lichetum fuisse amicissimum reformationis & reformatorum & acceptasse in specialissimam protectionem reformatos de custodia Estremadura, & quod ex toto suo posse conatus fuerit illis fauere: ac in illum finem cùm R. Patre Fratre Gabriele Aue Maria, Cōmissario suo Generali, contulerit seriò de medijs quibus roborari posset ista reformatio, dando illi omnem potestatem secundum Deum, quidquid iudicaret conducere ad consolationem reformatorum in erectione eorum Custodia in Prouinciam.* Et illo loco decadis 6. in quo legit id quod non habetur, videlicet Matthęū inter apostatas fuisse relegatum; id quod habetur non aduertit: videlicet; *Matthaeum malè fuisse tractatum à Generali R. P. Fr. Francisco Licheto; alioquin maximo amico & protectore reformatorum* vt antea diximus. Ex quibus eius verbis forte non omnino irrationabiliter posset alicui incidere suspicio; illum non ignotæ sanctitatis virum, cuius ipse & chronica mentionem faciunt sine nomine, fuisse Fr. Matthæum, qui de reformatione à se inchoāda extra Ordinem facile prophetare potuisset, & iam eam animo meditabatur. Quod tamen Bouerius non agnoscet, qui vbique negat Fratrem Matthæum reformationis inchoandę vllam intentionem habuisse.

In progressu suorum Annalium postquam anno 1525. nu. 26 retulisset Fratrem Matthæum Bassium à Ministro Prouinciali R. Patre Fr. Ioanne à Fano fuisse incarceratum, & valide malè tractatum in carcere: num. 27. subiungit: *Hac vero partim Satanæ liuor in Matthaeum consilia excogitauerat, vt illum à cœptis desistere, & aggressum reformationis opus, à quo sibi grauiter metuebat, cogeret infectum deserere: partim vero id humana Ministro prudentia suadebat; ne scilicet ex noua illius habitus forma, quæ animos sua nouitate atque asperitate ad reformationem pelliciebat, schisma in ordine concitaretur.* En humana & diabolica consilia, secundum ipsum, contra reformationem conspirantia. Et tamen nihil inordinati aduertit in eo quod ibidem refert & laudat, quendam pium, vt vult, sacerdotem, subditum tamen, sine authoritate legitima eo vsque Superiorum suorum negotijs sese immicuisse, vt voluerit carcerem aperire & dimittere Matthęum contra Iuris Ordinem. Insuper dum eundem narrat ea quę in Ordine agebātur extra illū diuul-

diuulgasse, atque ad Catharinam Ciboam, Camerini Ducissam ac Pontificis Clementis VII. neptem detulisse, quæ ea occasione ardētes ac minaces ad Prouincialem Ministrum litteras dederit. Alios quoque fratres aperto illegitimè carcere fugam suasisse; quam tandem etiam inijsse Matthæum testatur. Nihil ibi ne humanorum quidem consiliorum vidit aut reprehendit Bouerius: licet refert Matthęum suasionem illam tanquam Satanę consilium repulisse.

Ad annum 1531. num. 15. acriori adhuc stylo Obseruantes perstringit: *Hoc porro tempore vsque adeo in Capucinos, tanquam propriæ religionis desertores, Ordinis persecutiones desæuiebant; vt eos nullo propemodum loco tutos quiescere, aut fixos consistere paterentur*. Sequenti vero anno 1532. postquam num. 1. *Superiorum violentam authoritatem: totius ordinis impetus ac procellas*, contra res Capucinorum nominasset num. 2. omnia Ministri Generalis R. Patris Fr. Ioannis Parmensis quem ipse Pisciotā vocat (Gonzaga nominat Pisottum) dicta & facta sinistrè interpretatur; *Eius animum à reformatione alienum, erga Capucinorum reformationem adeo exulceratum, vt ne vllam quidem de ea mentionem fieri æquo animo sustineret*, describit, *Cumque minus in reformationem animum intenderet, veritus maximè ne ad Capucinos migrarent*, Ludouicus & Bernardinus Regini, vult eum propendisse in illam sententiam, *vt oppido in vincula vterque conijciatur*. At statim *mutato prorsus in oppositum consilio* refert eum commendasse eorum zelum, virtutem ac propositum: reformationem, quam ij sibi ipsis priuatam proponēbant, se in toto Ordine prosecuturū, pollicitum fuisse Ludouicum Nepitij, Bernardinum Rhegij in Annunciationis Beatæ Mariæ conuentu Guardianos destinasse: sed totum hoc *vt eos à proposito reformationis studio reuocet*. Sic ille Annalista omnia in peiorem partem interpretatur, licet bonus ille Generalis expressis verbis eos in maioribus hisce conuentibus superiores eo consilia à se institutos affirmaret: *vt trium conuentuum postulatione prætermissa, ad totius Prouinciæ reformationem animum & cogitationem transferant*.

Anno 1534. num. 15. dicitur quod idem ille Generalis, procuratis ac receptis ab omnibus vndique Regibus ac Principibus litteris, qui (vt habet num. 16.) *in reformationis interitum conspirauerant, sed actu & opera Generalis Ministri, supremo*

premo Capucinos bello aggredi parabat talibus armis munitus. Cui bello profundius quam deceat, & credibile sit immiscet ipsum summum Pontificem; narratque quædam valde parum cohęrentia, videlicet Pontificem quasi miraculosa tempestate exterritum, & diuinitus monitum consilium de exterminanda Capucinorum reformatione mutasse. Nihilominus *cum aduersarij fortius apud ipsum insisterent*, cogitasse ad breue tempus Capucinos ab vrbe expellere, vt per quęrimonias eorum qui Capucinis fauebant iterum honestius, & cum satisfactione Principum, qui contra eos scripserant, reuocarentur. Idque consilium refert decreto adeo rigido executioni mandatum num. 19. vt in festo sancti Marci, quotquot in vrbe erant Capucini ad vnius candelæ ardentis tempus ab ea confestim abscedere præciperentur.

Quæ, vt dixi videntur parum credibilia: nam quæ decreti adeo rigidi, in re non seriò putata necessitas? & quid opus erat eorum querimonijs, qui rebus Capucinorum fauebant, si tam manifestè Deus se ijs fauere ostenderat, prout antea narrauerat Bouerius? Videntur mihi, saluo meliori, talia figmenta ac simulationes dignitatem Pontificiam & authoritatem minus decere, cui nec propter principes quidpiam iniuriosum, & Deo displicens, vel simulare conueniebat. Et quorsum quæso Brandani istius Eremitæ, quas num. 26. refert, tendebant inuectiuæ in Romam Capucinos expellentem proclamatæ quasi spiritu prophetico, si totum simulate tantum, & bono fine agebatur?

Nihilo benignior est ad ann. 1536. vbi num. 9. scribit verba cuiusdam Bernardini Senensis Definitoris Capucinorum, quibus respondet cuidam Cardinali percunctanti quid de vnione cum Ordine Obseruantium & subiectione ad Generalem Ministrum sibi videretur: *quod nihil magis exploratum sit, quam Generalem Obseruantium Ministrum in nouæ reformationis interitum cum suis modis omnibus conspirare*: & proinde *ex hac subiectione illi certius expectandum esse, primo quoque tempore extinguendum fore*. Post relatam vero num. 33. bullam Pauli Tertij, qua Capucini ab Ordinis Obedientia eximebantur, sic concludit. *En quo tandem acrior hæc persecutio, quæ extremum afflictæ Religioni diem ominari videbatur, euasit.* Ita nimirum vocat propositam vnionem per religiosissimum virum

rum Patrem Vincentium Lunellum Obseruantium Generalem, de qua postea latius loquendi dabitur occasio.

Videtur acrimonia styli Boueriani cum annis accreuisse nam ad annum 1558. num.3. cum dixisset *antiquos religionis aduersarios* cuiusdam Cardinalis beneuolentiam & authoritatem sibi conciliasse cum quo *coniurauerant, vt Capucinorum Religio ad Minorum Obseruantium Ordinem & obedientiam, Pontificia potestate reuocaretur*; subiungit: *plurimæ quidem hactenus procellæ iam ab exordio, in Religionem excitatæ fuerant, quæ cum palam desæuirent, ijs ratione, & consilio obsisti poterat; at nulla hac sæuior tempestas. &c.*

An his & huiusmodi alijs sexcentis elogijs, & egregijs encomijs, quibus passim Superiores & Ordinem Obseruantium honorat Bouerius, eos persecutores & tyrannos non faciat, cuilibet iudicandum relinquo. Hoc non satis capio quomodo religiosus animus, imbutus, vt oportebat, charitate, *quæ malum non cogitat, patiens est* in vera etiam iniuria ferenda, *benigna* in eadem interpretanda & referenda, hæc adeo amaro stylo exarare & exaggerare potuerit.

Certè iuxta communiorem Patrum, Hieronymi, Gregorij aliorumque interpretationem legimus etiam bonos Angelos, quos gloriæ cœlestis splendor illuminat, in libro Danielis cap. 10. vers. 13. Prophetæ sibi mutuo restitisse, dum Diuinæ voluntatis arcanum circa regna & populos sibi commissos adhuc ignorarent. Quid ergo miri si homines quos congenitæ culpæ comes ignorantiæ obscurat, quosque Deus secundum ordinem suæ suauissimæ prouidentiæ voluit sibi mutuo, zeli, patientiæ, cęterarumque virtutum materiam subministrare, aliquando opinionibus & voluntatibus discordent; presertim in ijs rebus quæ bene & male fieri possunt, & in quibus Deus suã voluntatem non manifestauit?

Videtur quidem Bouerius vno vel altero in loco voluisse mordaces has phrases suauiori aliquo condimento lenire, & temperare. Vt cum Ioannis à Fano postmodum Capucini vitam describens ad annum 1539. num.4. dicit: *Cum summum religionis zelum cum animi ardore coniunctum haberet, haud mirum quod in eo non nihil excesserit . . . . Is alterius Sauli instar abundantius sui Ordinis, præter scientiam tamen, æmulator existens: verbo, scripto, litteris, minis, persecutionibus, vinculis,*

 lis,

lis, carceribus, vi denique omni ac violentia, omnibusque machinis adhibitis, reformationem prosternere, ac prorsus è medio tollere tentauerit. In quibus tametsi nonnihil excesserit, ea tamen culpa vltro condonanda est. Eiusdem indiscreti zeli titulo ibidem. *Generales Ministrorum Obseruantium Ministros, & quotquot eiusdem Ordinis Superiores, in Capucinorum reformationem, priscis illis temporibus persecutionibus desæuire visi sunt* excusandos putat: *Quandoquidem in eo, quod excesserunt; non vitium, sed virtus, ac religionis zelus, quo ferebantur, spectanda sunt.*

Nescio an adeo tenui & modico condimento, tot diuersis in locis illata vulnera sanare, tamque amaras potiones dulcorare putauerit. Melius sanè fuisset, etiam posito quod omnia vera forent, quæ de persecutionibus scribit (quod non credimus) vocabulis & epitetis suauioribus vti, ac religiosè charitatis pallio, si qui fuissent in ordine eiusque Superioribus excessus, cooperire. Etenim religiosorum imperfectiones, quibus tanquam homines omnino carere non possunt, amariori stylo descriptę & exaggeratę homines sęculares nonnisi scandalizare, & ad religiosorum & Religionis vilipensionem excitare poterant; qui non consideratis virtutibus, & conatu quem adhibent viri spirituales ad domandam naturam, & vitia extirpanda, agnitas infirmitates eorum ad suam trahunt excusationem, nihilque in ipsis, præter communem naturæ corruptionem imaginantur; & dum illos tantum homines sibi similes cogitant exempla bona & monitiones eorum paruipendunt.


✝



QVAE-

QVAESTIO IX.

An non rationabiliter Obseruantium Ordo, eiusque Superiores exorienti Capucinorum reformationi sese opposuerint?



VPPOSITA potestate ordinaria & obligatione inde resultante, quæ Superioribus ex officio incumbit; accedente præsertim mandato Pontificio, cuius frequenter in præcedentibus mensionem fecimus, quo cauebatur ne quis sine Ministrorum Generalium, & Prouincialium expresso consensu nouas sectas & reformationes in Ordinem introduceret: ex ijs quæ superius dicta sunt & imposterum dicentur non erit difficile cuilibet discreto, ac nulla affectione præoccupato ostendere & persuadere, quod Superiores Ordinis Obseruantium rationabiliter processerint, quando prætensæ Capucinorum reformationi conati sunt resistere, eique pro posse sese opposuerunt.

Diximus enim quæst. 6. (neque puto quempiam posse refragari) etiam verè infirmum, & medicamentis indigentem, posse respuere, seseque opponere medicamentis acrioribus & extraordinarijs, vbi mitiora & ordinaria ad sanandam infirmitatem sufficiunt. Compertum etiam est Superiores, quantum possibile est, salua animarum salute & regulari Obseruantia, teneri præcauere omnes Ordinis & ouium sibi concreditarum inquietudines & turbationes. Insuper constat si cuilibet pro libitu permittatur in modo viuēdi, habitu & cæteris religiosæ vitæ exercitijs noua & particularia introducere: nullo vmquam tempore pacem inter Fratres, & charitatem posse sartam tectam seruari: siquidem hominibus etiam bonis sæpenumerò noua placent, & indiscreto zelo plerique admutationes inclinantur antequam maturè considerent, an noua futura sint veteribus meliora. Cum ergo constet experientia vix aliquid in humanis ita esse conueniens quin sua secum ferat inconuenientia; cur exoriente hac pretensa Ordinis reformatione à subditis quibus id non competebat; Superioribus non licuit eam tanquam suspectam examinare & suspendere?

&

& opponere ſeſe ſubditis qui ſine ſuperiorum ſuorum licentia, contra religioſæ diſciplinæ ordinem ad Sedem Apoſtolicam excurrebant, pro mutanda ferè ſola habitus forma, prætextu reuelationum ſibi factarum? Subditis qui nunquam ad Fratrum regimen aſſumpti fuerant; imo quorum vni ne quidem prædicationis officium fuerat commiſſum: qui erat (vt ipſemet fatetur Bouerius ad annum 1526. num. 14.) *vir ardentioris ingenij, natura audax, ſagax, & ad dura quæque toleranda idoneus*; forte magis in militia quam in Religione exercitatus; cuius hipocriſis poſtmodum in abſolutione à Generalatus officio ſeu commiſſione apparuit. Subditis qui ab anno 1526. (vt habetur in apparatu num. 54. ex hiſtoria Romualdina) *cum Licentia Apoſtolica*. (quæſtio eſt an non meritò ſuſpecta, de quo poſtea) *à propria Religione diceſſerant ac proinde vagantes Italiam circumibant, quo tenderent, aut quid quærerent, prorſus ignorabant*. Qui Superioribus ſuis reſpectum perdebant; qui Ordini iniuſtè inſultabant tanquam collabenti & nullam paupertatis reliquarumque virtutum religioſarum curam habenti; vt incepi oſtendere, & in ſequentibus plenius oſtenſurum me & probaturum confido. Cur inquam tali occaſione talibus talium ſubditorum machinationibus non potuerint, imo non debuerint Superiores ſeſe opponere? Propria conſcientia ad annum 1526. num. 49. veritatem Bouerio extorſit vt diceret: *quod ad Faneſtris zelum pro Religione ſuſceptum attinet, neque damnandum, neque illius prudentiam aſpernandam cenſeo, vox enim ſapientis eſt (Eccles 19.) qui cito credit leuis corde eſt. Neque enim aut Matthæus aut Ludouicus eam ſibi in Ordine authoritatem, aut prudentiæ nomen comparauerant; vt ijs de reformatione agentibus, ſtatim factum commendandum; ac eorum ſpiritus, necdum vllo rerum ſucceſſu probatus, à Paſtore ſequendus eſſet.*

Non video igitur in quo tantopere Superiores Ordinis ſint reprehenſibiles vt à Bouerio tanquam perſecutores & oſores reformationis ſugillari potuerint. Attento præſertim quod videatur adeo ipſum Annaliſtam ſuę reformationis Authorum puduiſſe, vt eos pro talibus nolit agnoſcere. Nam in apparatu num. 45. ait, quod *huius præclaræ Religionis tam debile ac infirmum principium appareat, tamque labili ac lubrico fundamento innixum: vt vel omni fundamento deſtituta, mortalium*

que m-

quemquam sibi Auctorem esse non agnoscat: vel si aliquod sibi humanum fundamentum vendicat, illud adeo instabile ac ruinosum esse videatur: ut num fundamenti nomine dignum sit, iure dubitari possit. Quòd si verum est (vt verum esse confitetur Bouerius) potuerunt meritò Superiores Ordinis Obseruantium de huius reformationis Auctoribus ac fundamento dubitare; & rationabiliter præsumere plus talia instrumenta inquietudinis in Ordine, quàm vtilitatis esse causatura.

Accedit quod idem Author in apparatu num. 46. vt ostendat suam reformationem diuinitus originem habuisse dicat. Inter ipsos Regularis inobseruantiæ vepres, qui sacrum Minorum Ordinem occupauerant (fortè magis imaginatiuam Bouerij) quasi lilium inter spinas, nouam hanc reformationem oriri, nullo non modo mortalium splendore illustrem, aut potentia suffultam; sed omni prorsus humanæ prudentiæ præsidio ita destitutam, vt ei illud Ezechielis merito occini potuerit: *Ezechiel. 16.* Quando nata es, in die ortus tui non est præcisus vmbelicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis. Non pepercit super te oculus, vt faceret tibi vnum de his misertus tui: sed proiecta es super faciem terræ, in abiectione animæ tuæ in die qua nata es. Tam enim obscura, ac omnium oculis ignobilis, huius reformationis natiuitas visa est: vt quæ alijs religionibus, ex summi Dei prouidentia, ac liberalitate videntur esse communia, quæque ad partum decorem, ac gloriam conferunt; huic penitus denegata fuerint. Neque enim magno vllo sanctimoniæ apparatu, quæ in Institutore præluxerit, in ipso ortu potita fuit, quo & nouitatis opprobrium, ac prioris deformitatis vmbilicus nouique partus sordes, si quæ illi inesse poterant, velut lauacro abstergerentur. Nullo quoque cælestium miraculorum fulgore velut amictu ornata fuit: vt eo saltem se, & Dei gratia cohonestatam, & Diuina virtute indutam ostenderet. Denique omni hominum auxilio ac patrocinio orbata, tantis in ipsa natiuitate calamitatibus fuit affecta; vt nec ipsi domestici (per quos nescio an suos intelligat; & sic alij facilius excusabuntur, quos habere domesticos noluit hæc reformatio) tenellæ ætatis doloribus parcerent; sed in eius potius necem conspirarent. Quid plura? tam vilia, tam abiecta, tam ignobilia omnia ab exordio sortita fuit, vt

nec

nec quidquam in suo ortu magnum, nedum illustre præ se ferret.] Hæc omnia Bouerius quasi in suorum laudem commemorat vt diuino miraculo atque huius reformationis educationem & accretionem adscribendã probet. Verum ex ijsdem videor mihi efficacius posse concludere: cum destituta fuerint istius reformationis exordia sanctitate in Institutore, miraculorum fulgore, & cæteris rebus quę possent eam commendabilem reddere ac tollere; *Nouitatis opprobrium, prioris deformitatis vmbelicum, nouique partus sordes*: non debuisse Bouerium cum suis ita mirari & conqueri quod tali partui, à quo tam parum boni secundum omnem apparentiam sperari poterat, sese illi opposuerint, quibus ex officio & natura rei hoc incumbebat; ac insuper specialiter à Pontifice Leone Decimo commissum erat vt prouideret ne per nouas sectas, Ordo nouiter pacatus & stabilitus denuò perturbaretur, ipso enim Bouerio teste ad annum Christi 1527. num. 2. *tot ac tantæ hoc tempore inter fratres pro reformatione turbæ fieri cœperunt; vt, in factiones diuisi, vix sedari possent, quin in seditiones ac tumultus erumperent*. Et vnde quæso, nisi istius nouæ prolis insolita natiuitate? Mirum igitur quomodo audeat iste Annalista eodem loco num. 3. factam oppositionem vocare persecutionem, iniustam quidem; quæ tamen absque ratione fieri non crederetur.

Sanè non absque ratione factam fuisse oppositionem huic reformationi ex eo concluditur, quod quidquid vmquam poterat in vlla noua reformatione rationabiliter displicere, timorem incutere, ad æmulationem & oppositionem excitare; totum in hac videatur fuisse conglomeratum; vt discurrendo per singula luce clarius patebit.

QVAE-

QVAESTIO X.

Quam fuerit præiudicabile reformationem extra Ordinem velle instituere?

GLORIATVR sæpius Bouerius, tanquam de re eximia, quod prætensa hæc reformatio extra Ordinem inceperit, ab eoque ab initio authoritate Pontificiâ fuerit separata; qui tamen, vt ipse vult, reformatione indigebat. Nam in apparatu, nu. 48. Lapillo Danielis à Monte (scilicet Religione Fratrum Minorum) sine manibus abscisso eam comparat: diuinaque virtute dissectam & elaboratam gloriatur. Exinde sine patre, sine matre, sine genealogia imaginatur eam in orbem terrarum prodijsse, ne vllam cum Religione Minorum Obseruantium habeat connectionem: in cuius tamen *caput erectam* dicere præsumit num. 58. De eadem prædictum asserit ad annum 1524. nu. 47. Ordinis reformationem à Deo excitandam esse, & *quod tibi* (sic prophetatum refert R. Patri Licheto; qui tamen ante reformationem exortam aliquot annis obijt) *alijsque Ministris durius erit, extra ordinis obedientiam consurget, Deoque protegente, immota aduersus ordinem stabit*. Anno 1526. num. 43. refert diploma quo ab Ordine eximuntur fr. Ludouicus, Raphael eius frater laicus, & Matthæus de Bassio, eisque conceditur vitam Eremiticam ducere sub obedientia & correctione Ordinarii, in cuius diœcesi eos residere contigerit. Ad annum sequentem 1527. num. 35. dicuntur Generali Magistro Conuentualium subiecti fuisse per diploma; [redacted]. Dicitur enim *de licentia vestri tunc Superioris iuxta formam litterarum Apostolicarum super vnione & concordiâ, inter prædictos* (Obseruantes) *& Conuentuales nuncupatos fratres dicti Ordinis edita, consectarum, ad ipsorum Conuentualium consortium vos transtulistis*. Quæ verba ipse tantum potest explicare de licentia petita, & non obtenta; cum tamen in bulla vnionis expressissimè requiratur as-

sensus & licentia obtenta. Quod autem iam antea ab ordine Obseruantium auulsi fuerint, vt ipse loquitur ([redacted]) nihil ad rem præsentem facit, cum totum hoc videatur Pontifex ignorasse: adeoque ex falso allegatis, vel malè intellectis processisse: supponendo scilicet quod legitimè ab ordine Obseruantium ad Conuentuales recessissent: sicuti in priori diplomate quo ab Ordine auulsi, & Ordinarijs subiecti fuerũt, veram esse supposuit Pontifex rationem allegatam, nimirum, *quod vlterius sana conscientia in sui Ordinis domibus morari non possent*.

Quorum cum nihil in veritate subfuerit; viderit Bouerius quo modo ad annum 1528. n. 3. glorietur bullam, quam ibi num. 4. totam exscribit, ex particulari Pontificis prudentia datam fuisse; *vt noua reformatio, non ex Obseruantium sinu, sed ex Minorum Conuentualium, quibus iam seipsos sponte subiecerant, gremio effluxisse videatur*:

Ad eundem annum num. 13. (qui malè impressus est 23.) dicitur: *hic primæuus fuit huius Religionis spiritus, vt à reliquo Ordinis corpore seiuncti ad Eremos se conferrent*. Cuius rationem dat num. seq. 14. *Quod stabili Dei consilio iam decretum esset, vt noua reformationis proles, ab antiqua Ordinis familia, non tantum vita, sed & habitu ac Religionis corpore distinguerentur*. Vnde infert etiam debuisse habere nomen distinctum. Num. vero 21. eiusdem anni notat tanquam singulare, nouæ reformationi statim in ipso ortu separationem à toto Ordinis corpore adiudicatam fuisse; *quam prior Obseruantium Religio*, inquit, *vix post multa temporum interualla consequi potuit*.

Salua tamen pace Reuerendi istius Patris ac tam Sancti Ordinis Annalistæ videor hic mihi posse vti verbis Apostoli: *non est bona gloriatio vestra*. 1. Cor. 5. vers. 6. Vel ex eo maximè quod eodem anno 22. tanquam valde admirandum subiungitur: *quod tam ardua res tam faciliter [illegible] absque consilio à Pontifice, grauissimo alioqui viro, maximisque in rebus probatissimo, conficerentur*. Quod more suo ad cæleste Dei consilium refert. Neque hoc ipsum ego diffiteor; sed admitto & admittendum dico in omnibus, etiamsi humana consilia, & defectus etiam intercurrant; omnia siquidem quantumcumque humana & imperfecta, ab illo summo rerum omnium mode-

moderatore sapientissimè, & suauissimè ordinantur, ac disponuntur.

Ne tamen nimium & absque vllo prorsus fundamento, lapidem hunc, *sine manibus hominum, aut humana prudentia & consilio à prioris Religionis monte abscissum* quispiam glorietur; opto vt in ipso met Bouerio omnia humana media & cautelæ, quæ à primis huius prætensæ reformationis Auctoribus, nutritijs, propagatoribus (quocumque eos nomine appellare maluerit) adhibita sunt, inspiciantur. Videatur ad annum 1526. num. 36. & seqq. vsque ad 43. qualiter ad instantiam & litteras commendatitias Catharinæ Ciboæ Camerini Ducissæ Neptis Pontificis, per Laurentium Pucium Cardinalem Episcopum Prænestinum confici diploma quo ab Ordine eximerentur, obtinuerint. Legatur ad annum 1527. num. 13. consultatio, & Theologica resolutio Ludouici Forosemproniani, qua consodalibus suis scrupulum aufert quo verebantur se ad Conuentuales transferre sine licentia Ordinariorum, quibus ex præfato diplomate erant subiecti, ex eo scilicet quod cum Episcopi ipsis suo patrocinio adesse deberent, & re ipsa id non præstiterint, sed suo muneri defuerint: ad illos confugere liceat *qui suo põdere atque authoritate ipsos ab insana aduersariorũ potestate tueri, atque Apostolicam facultatem sartam tectam seruare possunt*. Consideretur quod an. 1528 num. 3. Pontifex *ex multis Catharinæ Ducissæ neptis litteris, Camerinensis Episcopi epistola, atque aliorum testimonijs* (quæ reformatores isti impetrauerant & attulerant) motus fuerit ad diploma, quod num. 4. habetur, concedendum. Introspiciantur insuper bene stratagemata militaria anno 1526. num. 56. & seqq. num. 75. & anno 1527. num. 7. à Ludouico Forosemproniano ad euadendas superiorum manus tertiò consequenter practicata; & facile videbitur humana consilia & media non fuisse neglecta. Si præterea acta apud, & per Ducem Nucerinum anno 1532. num. 4. & seqq. eiusque filium Tiberium Abbatem num. 58. & seqq. expendantur; nonne vbique adhibita consilia & media humana pro defendenda & promouenda illa reformatione probant & clamant? Si denique aliæ Bullæ exemptiones, & priuilegia, quę Principum & aliorum fautorum interuentu obtinuerunt isti boni Patres, examinentur: non existimo quod aliquis omnibus bene consideratis, & maturè perpensis iudicare

care poterit interuenisse singularem & extraordinariam in ortu vel promotione pretensę reformationis, Dei operationem, sine causarum secundarum concursu, sine humanis adinuentionibus & adminiculis, qualia in similibus negotijs solent adhiberi.

Per hęc tamen nihil imminutum vel detractum volo sanctitati, glorię, vel existimationi instituti Reuerendorum Patrum Capucinorum, quod ex animo veneror & diligo: cum media humana omittere vbi ea suppetunt, totumque Dei extraordinarię prouidentię committere, sit Deum tentare. Neque puto veros illius sacri instituti sectatores, aut fautores ęgrè laturos detectionem purę veritatis in hoc speculo; vera enim virtus falsis & fucatis encomijs non indiget, quibus obfuscatur potius quam illustretur.

Sed ad rem veniamus. Si in caput Religionis (vt vult Bouerius in apparatu num.58.) erecta est prætensa Capucinorum reformatio: caput scilicet (vt idem indicat) abscissum sine manibus, dissectum, & separatum à corpore religionis; vbinam quæso vult illud erectum fuisse? an forte in prima, aut stipite pro vt solent abscissa reorum capita erigi? Certè id nec capiti nec corpori gloriosum existimo. Vel si persecutionis occasione caput per martyrium separatum dicere maluerit: etiam talis separatio & erectio non in capitis & corporis vtilitatem, sed internecionem vergeret; cum sine mutua vnione neque corpus neque caput possint salua consistere. Ne autem & hic arcana Dei consilio, & noua miracula proclamentur, ipsam rei naturam & essentiam examinemus.

Reformatio secundum omnes est alicuius ad meliorem formam reductio, sic vt illud quod reformari dicitur substantialiter & essentialiter idem numero permaneat, saltem in morali existimatione. Dico *ad meliorem formam* nam alioquin deformatio, & non reformatio dici deberet. Addo *sic vt illud quod reformatur idem permaneat*: nam alioquin esset destructio vel ad summum conuersio ac in aliud transformatio. Hoc supposito quæro quidnam illud fuerit quod prætensæ huius reformationis Authores reformare voluerunt? si respondeatur quod seipsos tantum reformare voluerint, pro vt de Matthæo Bassio sæpe Bouerius inculcat: ad hoc non erat opus tot Bullis, quibus etiã alijs habitum communicare, congregatio-

nem instituere, cæteraque talia concederentur: Non erat opus tot nouitatibus & commotionibus, aliorumque Fratrum ab Ordine abstractione; imo nec ipsorum separatione: in humili siquidem obedientia & patientia securius, quietius, & plenius sese poterant reformare.

Si vero suum Ordinem, cuius membra fuerunt, reformare intenderint; vtpote quem vbique reformatione indigere ob lapsam Religionis disciplinam, pessumdatam paupertatem, totiusque Regulæ Obseruantiam proclamarunt: in tantum, quod in maximam totius Ordinis ignominiam & iniuriam, non solum apud Pontifices, sed etiam apud Principes & plebem ebuccinauerint statum Ordinis Obseruantium non fuisse tunc temporis statum salutis: Peto quid reformatio ab Ordine saparata eidem profuerit, vel prodesse potuerit? & an potuerit dici reformatio, qua corpus Ordinis reformandi non reducitur ad meliorem formam; sed producitur aliud Religionis corpus separatum & distinctum à priori? Nemo puto dixerit Adamum fuisse reformatum quando costa eius ædificata est in mulierem, nemo domum antiquam, cuius ligna, lapides, cæteraque materialia extrahuntur, ad alterius nouæ domus à priori separatæ & omnino distinctæ ædificationē, reformari dicet aut restaurari.

Viderint ergo qui de istiusmodi separatione tantopere gloriantur an bona sit eorum gloriatio de re quæ reformationis fini omnino contrariatur; adeo vt potius destruere Ordinem antiquum voluisse, quam eundem reformare videantur. Quod non obscurè indicant Bouerij verba ex apparatu num. 37. aliquoties iam citata: *cum regularis Obseruantiæ morbos interdum grassari animaduertunt, quibus curandis communia pharmaca non sufficiunt: vel Generalis purgatio toti corpori indicitur* (pro vt in reformatione Obseruantium contigit) *vel sanior membrorum pars à pereunte corpore seiuncta in nouum corpus assurgit*; quod suæ reformationi Bouerium adscribere voluisse tota ipsius clamat historia; & in hunc finem, vt credo, de obtenta ab initio separatione, gloriatur. Verum hoc non est *Religionem ab interitu vendicare* (vt Bouerius ibi loquitur) sed ea pereunte & consumpta tanquam ex cineribus antiqui Phænicis nouum resuscitare, sicque non conseruaretur eadem Religio; sed alia eiusdem rationis produceretur.

Hinc

Hinc patet quantum & quam intolerabile præiudicium antiquo Obseruantium Ordini per reformationem ab eo separatam, illatum, vel saltem intentatum fuerit: tale profectò, quale matri adhuc viuenti, & de sanitate non desperanti, fieret per obtrusionem medicinę, qua, vt proles eius nasceretur, ipsa, tanquam desperata occideretur. Nisi forte Obseruantium Religionem vt matrem agnoscere dedignentur, qui prius quam in corpus Religionis exurgerēt separari obtinuerunt, vt *non è sinu Obseruantium nasci; sed è gremio Conuentualium effluxisse viderentur*, vt loquitur Bouerius. Vt vt sit non videtur hæc reformatio rationabiliter posse conqueri, si mater non agnita prolem non agnouerit; seseque iure a natura omnibus concesso, à ruina & morte defendere studuerit, quam proculdubio noua hæc reformatio ex natura rei antiquo Ordini intulisset, nisi suauis Dei Prouidenntia secundum promissiones sancto Francisco factas eum conseruasset.

Hoc pro fine huius quæstionis dissimulandum non existimo, quod semper & vbique Bouerius Obseruantium reformationem cum sua conetur inuoluere: sicut hic dicit, Capucinorum reformationi ab isto statim ortu ab Ordinis corpore: *Separationem adiudicatam fuisse; quam prior Obseruantium Religio vix post multa temporum interualla consequi potuit*. Sed parcat nobis Bouerius: nam alia prorsus fuit reformatio Obseruantium; alius omnino inchoandi & procedendi modus; in quo ostenderem omnia interuenisse, quæ non tantum ad decorem & gloriam conferunt, verum etiam ad solidum & religiosum fundamentum, pacem & charitatem conducunt; quæ Deo & hominibus eam gratam facerent, vel saltem facere deberent, nisi debito longior in proprio instituto commendando esse timerem. Hoc solum hic dico ad propositum, non rectè Bouerium Obseruantium reformationem assimilasse suæ prętensę reformationi, vel in tantillo, quod etiam post multa temporum interualla separationem ab Ordine reformando consecuta fuerit: numquam enim eam voluit, nunquam insequi intendit, numquam obtinuit vel est consecuta; prout ex elucidatione nostra historica §. 1. & 2. & precedentibus nostris quæstionibus facile videri potest.

Hic tantùm adiungo quid Eugenio IV. Pontifici suaserit & persuaserit Beatus Ioannes Capistranus. Videns is attentatā

sæpius

sæpius & diuersis medijs concordiam sub Martino V. & ipso Eugenio, inter Conuentuales & Obseruantes, nullo modo succedere; Pontifici quidem suggessit, *nullum esse pacis remedium præter vnū illud separationis: eam tamen ita faciendā, ut adhuc corpus capiti adhæreret, & Generali Ministro subessent* Obseruantes; *ne viderentur ab Ordine totaliter recessisse & sancti Francisci Vicarium seu successorem despexisse, eiusque obedientiæ se subtraxisse*. Hęc refert R. Admodum Pater Lucas Vvaddingus ad annum 1446. in principio; vbi etiam Bullam inserit, qua Generali Ministro sua potestas & Iurisdictio conseruatur. Hæc porro vnio, quamuis non omnimoda & plena, tantum tamen boni effecit, vt conspirantibus semper capitibus (duobus exceptis, qui ob hoc etiam tantum paruo tempore rexerunt.) cum membris sanioribus, Ordinis puritatem ac Regulæ Obseruantiam zelantibus, totus tandem Ordo, expurgatione facta, sanatus, & in Obseruantia stabilitus fuerit, paucis vt dixi, annis septem scilicet vel ad summum octo, antequam Patres Capucini prętensam suam reformationem alia prorsus via, contraria vnitati & valetudini corporis, aggrederentur; omnis siquidem scissio & separatio per se mala est; & membrum separatum nihil boni in corpus a quo separatur potest influere, nec ab eo vllum potest recipere influxum.

QVAESTIO XI.

An satis honestè & religiosè Ordinem Obseruantium eiusque Generales Ministros tractauerint primi Capucini ac Bouerius eorum Annalista.



OPPOSVERVNT se quidem religiosissimi Patres Ministri Generales ordinis Obseruantium, quibus ex officio & speciali Pontificis Leonis Decimi mandato incumbebat Ordinis sibi commissi scissuras & perturbationes auertere, nouæ Patrum Capucinorum reformationi, propter tam nociuam quam ob initio prætendebat, ab antiquo Ordine diuisionem; & ob alias multas rationes, partim iam tactas, partim inferius pro opportunita-

te exponendas : idque quamdiu ipsis non satis innotuerat Dei circa illam consilium & dispositio. At posteaquam viderunt eam, contra suam opinionem, emergere, & latius per Italiam propagari; timentes ex vna parte Diuinæ voluntati resistere ex alia considerantes magnum præiudicium & periculum quod patiebatur Ordo ex dinisione duarum Religionum, quarum vtraque Regulam sancti Francisci profitebatur, & seuerum ordinem Fratrum Minorum esse gloriabatur : vnde multæ exoriebantur Fratrum inquietudines, qui leuiter & facile obedientiæ Superiorum suorum, prætextu Ordinem magis reformatum ingrediendi, sese subducebant, atque diminutio authoritates Superiorum ex illa Fratrum libertate : nec non inter vtrumque Ordinem eorumque Rectores, emulationes & contentiones ; dum nunc ab vna parte obtinebatur licentia quoscunque recipiendi; nunc ab alio talium licentiarum reuocatio, & inhibitio huiusmodi receptionum impetrabatur. Volentes prefati Patres istiusmodi inconuenientibus occurrere, atque perturbationibus omnibus precludere viam: obtulerunt Patribus Capucinis; & institerunt apud Pontifices diuersis vicibus, vt Capucini cum Obseruantibus in vnum corpus ordinis sancti Francisci, sub eodem capite, legitimo sancti Francisci successore ac Ministro Generali vnirentur.

Quam vnionem mirum quantum Patres Capucini semper abhorruerint : in tantum vt oblationes istas & supplicationes apud Pontifices factas titulo persecutionum acerbissimarum & periculosissimarum nominauerint ac RR. Patres Ministros Generales, qui illam vnionem proposuerunt, fraudulentæ manicationis insinuauerint, tamquam qui isto medio non intenderint aliud quam ortam iam reformationem supprimere, ac totalitar suffocare. Quæ nescio quomodo religiosi viri de religiosis Patribus, tanti Ordinis Superioribus Generalibus ausi fuerint suspicari, nedum tam libero calamo exprimere præsumpserit, & toti mundo inculcare; Reu. Admodum Pat. eorum Annalista.

Fuerunt isti Patres Generales, contra quos præcipuè insurrexerunt primi Capucini, & de quibus contemptibiliter, & maiori cum vilipensione scribit Reuerendus Pater Bouerius: RR. Patres pater Ioannes Pisottus (quem Bouerius Pischiotam nominat) & pater Vincentius Lunellus, qui R. P. Fran-

cisco Angelorum vnus post alterum in Generalatu successerunt.

Horum primum Reuerendum Patrem Ioannem Pisottum, postquam sæpius *animo à reformatione maxime auerso* descripsisset, & ad annum 1530. num. 1. dixisset cum suis voluisse *rem vniuersam periclitari: quo reformationem è medio tollerent ac penitus obruerent*. Idque quia *communi consilio libellum supplicem Pontifici obtulerunt, quo apud Sedem Apostolicam conquærebantur, noua Capucinorum reformatione graue in Ordine scisma concitari, ordinem discindi antiquam Religionem prosterni, illiusque neruos præscindi &c.* Postquam anno 1531. num. 8. dixisset præfato Generali *reformationem Capucinorum prorsus inuisam* fuisse *& maximum se illius aduersarium gessisse*, plurimaque alia huiusmodi elogia passim contra illum sparsisset, ad annum 1532. à num. 66. vsque ad 68. refert eundem prouocatum à Reuerendo Patre Ludouico Rhegino, qui ipso inuito se ad Capucinos transtulerat, ita infeliciter & eneruiter corã Pontifice cõtra eundẽ Ludouicum disputasse: vt loco obtinendæ subiectionis eorum, quos legitimè ab Ordinis obedientia recessisse conquærebatur, ipse à Pontifice durissima increpatione tanquam hypocrita, & odio plusquam Vatiniano laborans, explosus & repulsus sit. Ac tandem ad annum 1533. num. 12. incipit describere quomodo idem Generalis Minister existimãs se grauiter læsum à Capucinis, quod turpes ipsius Ordinis maculas coram Pontifice aperuisset præfatus Ludouicus Rheginus anno præcedenti: captata Ludouici Forosemproniani absentia Capucinos sibi subijcere nisus fuerit, quo faciliùs illos tandem e medio tolleret. Et quidem rationes à Reuerendo Patre Ministro Generali ad hoc allegatas proponit adeo ieiunè & persunctoriè; tanta vero è cõtra luculentia & verborum energia factam à Ludouico Forosemproniano earum refutationem; vt rei veritatem non intelligentibus videri posit Generalis Minister non solum non fundatus in sua prætensione; sed nec legitimè electus fuisse in Ministrum atque in ipso tanquam solo nomine & non re vera obseruante successio Generalium Ministrorum & primatus ordinis ab Obseruantibus defecisse.

Quæ omnia antequam penitius examinemus: operæ pretium est hic adscribere quid ordinis chronica (quę non solent

abblandiri etiam Superioribus, eorumque defectus dissimulare) de Reuerendo Patre Ioanne Pisotto memoriæ tradiderint. Hæc igitur chronica 4. parte lib. 2. cap. 51. ita habent:

[Frater Pisottus (male ibi Paulus nominatur, nisi fortè binominis fuit) natus in Ciuitate Parmensi, fuit homò capax ad tractanda maxima negotia, excellentissimus in omni scientia notanter in theologia, in qua fuit celeberrimus; sic vt propter singulares suas perfectiones gratus fuerit & amatus non solum in tota sua Religione, sed etiam magni habitus in Curia Romana: quapropter à Clemente Septimo creatus fuit Vicarius Generalis Ordinis obseruantium circa finem anni 1528. & sequenti anno in festo Pentecostes celebratum fuit centesimumquintum Capitulum Generale in ciuitate Parmensi, vbi supradictus Ioannes Pisottus electus est in Ministrum Generalem, qui fuit quadragesimus octauus. Gubernauit Religionem cum summa prudentia & omnium satisfactione. Et paucis interiectis R. P. Fr. Paulus (Ioannem dicere debuerat) multis laboribus se fatigauit in ista Generalatus dignitate tribus annis continuis, in magnam incidens infirmitatem, & talem vt non vltra potuerit suum munus exercere finaliter ex hoc mundo in alium transiuit 1534.] suum corpus sepultum fuit in conuentu Annuntiatæ, cuius tumulo nepotes sui ex nobili familia de Zan de Maria Epitaphium posuerunt, ibidem etiam adscriptum. Quo eodem anno describitur in eodem capite obijsse beatæ memoriæ frater Hieronymus de Mesuraca Obseruans prouinciæ Calabriç, cuius miraculosum & beatum finem visum fuit hic inserere vt statum Ordinis sub tam prudenti & bono Generali intelligamus fuisse non salutis tantum, sed etiam sanctitatis. Hic itaque frater summa vitç sanctitate, candore animi ac pluribus meritis insignis, sanus & incolumis, rogauit Guardianum totam Communitatem conuocare: coram qua genibus flexis, rudi corda collo circumligata, cum lachrymis omnium suorum defectuum veniam petijt. Pressusque Guardiani sui mandato prçdixit se illo tempore ante-meridiano, priusquam omnes missç absoluerentur, excessurum è vita; quod & contigit: nam pauló antequam vltima Missa absolueretur inuentus est in propria cella extra lectum, genibus in terra positis, facie in cçlum eleuata per modum orantis, defunctus

eodem

eodem anno 1534. quo Prælatus suus Ioannes Pisottus qui ipsum & totum Ordinem feliciter rexerat, ex hac vita migrauit.

Hunc nihilominus talem ac tantum virum qui omnium aliorum iudicio, cumque omnium satisfactione Ordinem rexit, non est veritus Bouerius cum suis falsis adeo atque iniquis coloribus depingere, eiusque famam verbis tam mordacibus proscindere ac in tantum denigrare, vt etiam à Pontifice hypocritam & odio plusquã Vatiniano in innocuos flagrantem proclamatum asserat & condemnatum fuisse.

Cuius successorem Reuerendum Patrem Vincentium Lunellum nihilo melioribus aut æquioribus conditionibus depingit, intolerabilibus cum contumelijs afficiens, tamquam virum dolosum spiritu & vita Religionis carentem, ac similibus multis indignis scommatibus, quę infra opportunius, verum veritatem detegendo discutiemus, hic sufficiet ex supra dicto chronico Ordinis viri huius sinceritatem eiusque vitę integritatem ob oculos posuisse. Itaque eadem quarta parte chronici lib. 2. cap. 56. refertur hic R. Pater frater Vincentius Lunellus Hispanus fuisse electus in Generalem Ministrum anno 1533. vt alij volunt 1534. quod posterius puto esse verius ex Gonzaga, & consequenter dicendum esset ex supradictis in eodem chronico de morte Pisotti. Additur *Pater fr. Vincentius Lunellus fuit homo magnæ bonitatis, & valde doctus sicut interuentu bonæ vitæ & singularis ac raræ doctrinæ plures obtinuerit gradus & dignitates in Religione, & notanter quando electus fuit canonicè in Generalem Ministrum gaudebat titulo Commissarij Curiæ Romanæ.* Et quasi auctor chronici præuidisset eum aliquando doli accusandum ferè in attentanda cum Patribus Capucinis vnione, occurrit illi falsitati dicens eum sopiuisse & totalem finem imposuisse per Commissarium à se delegatum dissensionibus & controuersijs in fratres reformationem zelantes & alios eidem minus addictos. Sic vt non debuerit videri Patri Bouerio à conditione huius viri alienum fuisse etiam inter Obseruantes & Capucinos sincero animo & affectu concordiam & vnionem attentare. [Finaliter (inquit chronicum) postquam Pater Lunellus gubernasset Religionem maxima cum prudentia vsque ad annum salutis 1540. absoluto valde feliciter sexennio sui Generalatus, præ-

fectus est Mantuam, vbi conuocato Capitulo facta est electio successoris ipsius. Postquam deinde in Concilio Tridentino ad quod iuerat, multos labores exantlasset multasque molestias pertulisset, in morbum incidit ex quo valde sanctè obijt, & ibi sepultus fuit eodem anno 1540.]

Hæc chronica Ordinis de præclaris hisce viris referunt nobis nunc examinandum superest an ea vera sint quę Reuerendis his Patribus Bouerius adscribit ex suis antiquis Patribus, qui proprius à Religionis ortu abfuerunt, vel alijs grauissimis viris, à quibus se omnia desumpsisse profitetur in Præfatione quæ in suis Annalibus enarrauit.

QVAESTIO XII.

An sit verosimile quod Pontifex Clemens VII. R.P. Fratrem Ioannem Pisottum Ministrum Generalem Obseruantium adeo duriter increpauerit?

SVPPONENDVM hic est hunc Generalem Ministrum conatum fuisse Ludouicum & Bernardinum Reginos à Capucinorum reformatione capessenda auertere, cumque illi nihilominus clanculum se ab Ordine separassent, & desperaret eos bonitate posse ad Obedientiam Ordinis reducere, per se & Commissarium suum; impetratis contra eos litteris Pontificijs, eos capere & ad reditum cogere tentauit, sed illi freti Ducis Nucerini potentia & pręsidio, eius conatus eluserunt. Ac tandem Ludouicus, perlatis ad Pontificem, eiusdem Ducis litteris commendatitijs petijt vt Pontifex Generalem Ministrum ac Procuratorem Ordinis ad se vocaret, & coram se iuberet exponere, si quas contra se Ludouicum & confratres suos haberent querimonias. Has ad annum 1532. num. 60. succincte enumerat Bouerius: *clandestinam eorum ab Ordine discessionem & apostasiam, Ordinis scandalum ac perturbationem inde exortam: demum falsum reformationis prætextum, quo vertiginis atque instabilitatis spiritum tegunt*. Quæ *verbis mordacibus* dicit Bouerius præfatum Ministrum Generalem esse prosecutum. Opponitque

his

his amplum Ludouici responsum; quod conclusisse eum dicit num.66. [enumerando singillatim Pontifici quamplurima regularis inobseruantiæ vitia, quæ iam diu in Ordinem irrepserant, ac publico abusu, ac corruptela vbique ferè apud omnes inualuerant. Quæ quandoquidem omnibus tam perspecta erant, vt nulla tergiuersatione excusari possent, vt ipse vult, ait: Generalem Ministrum non nisi humanis rationibus excusare nisum fuisse excessuum causas, tum in maximam Fratrum multitudinem, tum in variam temporum ac locorum exigentiam rerumque vicissitudinem atque alia huiusmodi reijciendo.] Quæ omnia licet facillimè vel negari, vel in Bouerium retorqueri possint; nolo tamen nisi ex ipsiusmet scriptis & Pontificis sententia quam pro se ponit, omnium harum narrationum falsitatem probare, quod me clarè facturum confido. Audiamus ergo ex Bouerio primò sententiam Pontificis.

[Pontifex, *inquit ille*, qui eo vsque Religionis rebus leuiter animum intenderat: verum tunc veritatem diligentius edoctus, ad Generalem Ministrum prius orationem conuertens, velut indignabundus ait: Plurima, cum te virum grauem, prudentem, ac præsertim animi sinceritate, ac integritate præstantem existimaremus, tua authoritate nobis persuasisti, quibus aduersus hos Patres, velut audaces ac temerarios Ordinis desertores, perturbatores, factionarios, ac tandem Religionis vestræ dedecus, commoueremur; quos e diuerso viros singulari modestia, ac bonitate preditos, virtute eximios, Regularis Obseruantiæ studiosos, ac veros Beati Francisci filios, nos ipsi modo agnoscamus. Hinc te nec meliori spiritu ductum, nec humano odio aut cupiditate vacuum facile animaduertimus. Vide ne scribarum & Pharisæorum vitia imiteris, in quibus Christus apud Matthæū, Vę vobis, inquit, Scribæ & Pharisęi Hypocritæ quia clauditis Regnum Cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Cum enim Regularis Obseruantiæ vigor apud vos desierit; nullum vos non tam studium, aut laborem, vt restituatur impenditis: quin potius in eos plusquam Vatiniano odio laboratis. Quare id vobis modò omnino pręceptum sit, vt posthac nihil hisce viris à vobis molestiæ inferatur: nec ij vllo modo à vobis impediantur, quo minus

per-

perfectiori Regulę Obseruantię omni tranquillitate vacare queant: Tum ad Ludouicum conuersus, eum ad perfectum ac perpetuam Regulę cultum hortatur, illis sapientis verbis vsus: Pro Iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Promissoque illi benignissimè ad eam rem Apostolicę Sedis pręsidio ac patrocinio, benedictione confirmatum dimittit.

Visum est hæc de verbo ad verbum ex Bouerio hic inserere, quia puto solas phrases rethoricas potius quam historicas totam hanc narrationem reddere suspectam attentius legenti; sapiunt enim verba Pontificis ita Bouerium vt quilibet prudens vix aliud videatur posse iudicare, quam totam illam sententiam si non ab ipso vel aliquo alio confictam, saltem supra veritatem extensam atque ampliatam esse. In quo non mediocrem arbitror Pontificiæ dignitati iniuriam inferri; præsertim in eo quod præmittitur Pontificem; qui tot hactenus diplomata dederat, tam pro, quam contra Capucinos; *eo vsque Religionis rebus leuiter animum intendisse*. Id siquidem præterquam quod omnes licentias & confirmationes ab isto Pontifice à Capucinis impetratas suspectas efficiat; insuper in illius Pontificis ignominiam redundat.

Sed progrediamur paululum in ipsa Bouerij historia. Vix hanc sententiam increpatoriam, litis tamen simul definitiuam ille descripserat; quin sequenti statim num.68. subiungat: *cum ea Pontificis mens nullo decreto, aut diplomate declarata esset; qui litteras in forma Breuis à sacra Pœnitentiaria, contra quoscumque temerè ab Ordine recedentes impetrauerant, ijs tam Ludouicum Rheginum quam reliquos, tanquam Ordinis desertores persequi haud verebantur*, & paucis interiectis addit: *Cum Ordinis Patres egrè ferrent, quod plerique ex Obseruantium Ordine ad Capucinos quotidie transmigrarent, nouas quotidie querelas ad Apostolicam Sedem transmittebant*. Quo fit vt his Pontifex pertæsus duobus Cardinalibus, qui ibi nominantur causam totam determinandam commiserit. A quibus eodem isto anno edita Bulla ibidem inseritur: *qua omnis interim molestia* (Bouerij *verbis* vtor) *Capucinis inferri prohibetur: Capucinis quoque interdicitur ne Obseruantiam vllum in suum gremium recipiant, donec ea causa fuerit iudicata*.

Videa-

Videamus nunc quomodo hæc simul consistant; quod Generalis Minister tam acriter à Pontifice exceptus fuerit & reiectus; Ludouicus e contra laudatus in proposito, & confirmatus in sua prætensione: & tamen Patres vi litterarum Pœnitentiariæ ausi fuerint eum eiusq;socios persequi tanquam Ordinis desertores. Illi sanè vel enormiter effrontes & malitiosi fuerunt; vel debent cum suo Generali Ministro ex toto insaniuisse: qui non sunt veriti Pontificis, qui suam voluntatem tam claris verbis super hoc expresserat, extremam indignationem. Et quæ quæso causa iudicanda committebatur duobus istis Cardinalibus, qui per interim tantum vni parti inferre molestias, alteri aliorum receptionem inhibebant? Nonne pontifex satis clarè dixerat (si verum scripsit Bouerius) vigorem Obseruantiæ apud Obseruantes desijsse nec remedium in Ordine adhiberi: adeoque iniustè reformationis studiosos impediri à Ministro Generali? nunquid Ludouicum Rheginum in proposito confirmauerat, præsidium Apostolicæ Sedis ac patrocinium addixerat? Quid ergo his ita à Pontifice resolutis restabat iudicandum? Certè Bulla satis expressè dicit, litem Cardinalibus commissam versari: *De & super eo quod nonnulli Fratres Ordinis Minorum de obseruantia*, certis ex causis eorum animum mouentibus, adicto Ordine recesserunt, & ad vitam Eremiticam, siue Ordinem sancti Francisci Eremiticum accesserunt &c. falsum igitur esse conuincitur quod supra Bouerius de huius causæ definitione à Pontifice verbotenus facta gloriatus est; nisi velit hanc rem tanquam leuiter factam vlteriori Cardinalium examini commissam fuisse.

Non minus præmissæ Bouerianæ narrationi repugnant ea quæ ab eodemmet Ministro Generali pro primatu Ordinis & Capucinorum cum Obseruantibus vnione ac subiectione acta leguntur apud Bouerium ad annum 1533. num. 12. & vsque producta, *vt re ad Pontificem per lata non nihil illius animum commouerint*, vt habetur num. 15: scilicet ad præstandum id quod à Ministro Generali petebatur. At quę hic iterum incredibilis Generali isti Ministro audacia, ne imprudentiam dicam, vel potius impudentia impingitur? Quod apud illum ipsum Pontificem Clementem VII ausus fuerit prætendere superioritatem & subiectionem illorum, in quos odio plusquã

Yati-

Vatiniano eum flagrare Pontifex immediatè ante dixisset; nec sinere studiosos reformationis studium restituendę Obseruantiæ impendere. Non videntur hęc alicui in mentem posse incidere: minus Superiori tam æstimato & commendato à doctrina & prudentia.

Porro quę ad annum 1534. num. 16. & sequentibus contigisse referuntur; agente eodem Genarali apud eundem Pontificem Clementem VII. præcedentem Bouerij narrationem penitus destruunt & euertunt. Ibi enim, *Pontifex lectis tot Regum ac Principum epistolis, ac praterea tot potentiorum hominum, qui in reformationis interitum conspirauerant sermonibus velut arietibus concussus*, primùm hesisse dicitur consilij dubius: postmodum verò in fine eiusdem numeri resoluisse pathicè: *Esto tollatur, præscindatur, pereat. Quid amplius à nobis exquirunt? Si propter eam hæc orta est tempestas, mittatur in mare, & quiescant fluctus*. Donec num. 17. repentina & mirabili tempestate perterritus, consilium quidem mutasse de reformatione delenda; sed tamen, Principibus in aliquo morem gesturus, Capucinos omnes Vrbe pro tempore eijcere decreuisse, & de facto executioni hoc decretum mandasse narratur.

Quis hæc credere poterit tam inter se repugnantia, tamque indigna Pontifice? viderat ille (si Bouerio credimus) Ministri Generalis & Patrum Obseruantium odium in reformationis studiosos, adeoque in ipsam reformationem; eo nomine Generalem vt hypocritam increpauerat, tāquam qui Pharisaico vitio laborans regnum Cęlorum claudebat ante homines; & per Obseruantiæ ianuam introire volentibus obsistebat: & non cogitasset tam sapiens Antistes, litteras tot Regum ac Principum ab isto Ministro Generali eiusque subditis esse subreptitiè procuratas? Vel propter homines sententiam iustè & maturè à se latam, tam breui post tempore (secundo scilicet anno) contra Deum & conscientiam retractare deliberasset, nedum resoluisset?

En quo tales fabulæ suos auctores deducant! vt vel necesse sit Summum Pontificem leuitatis, imò & iniquitatis arguere, vtpote qui contra manifestam iustitiam ex humano respectu procedere paratus fuerit: vel istiusmodi fabularum Authores in vna vel altera Pontificis resolutione falsum dixisse conuin-

conuincantur. Nobis potius videtur Bouerium in ijs quę contra nostrum Generalem & Pontificem scripsit erroris arguere; quam vt Sedi Apostolicæ tales imprudentiæ, leuitatis, aut iniquitatis notas inuri permittamus.

QVAESTIO
Decima Tertia.

An in R.P. Fr. Ioanne Pisotto primatus Ordinis & successio Ministrorum Generalium ab Obseruantibus defecerit?



CLARVM & indubitatum esse existimo ex ijs quę supra diximus quæstione quinta primatum Ordinis & legitimam Ministrorum Generalium successionem ad nostra vsque tempora, sine vlla vnquam interruptione, apud Obseruantes perdurasse: id enim clarè sequitur ex bullis Leonis Decimi ibi allegatis, & decreto Cardinalium, quo titulus & sigillum Ministri Generalis totius Ordinis sancti Francisci Ministro Generali Obseruantium adiudicatum fuit an. 1631. tanquam qui eousque legitimè illo vsus fuerat, & in posterum vti posset. Adeoque opus non erat hanc quęstionem hoc loco mouere, nisi eo audacię, ne dicam impudentiæ progressus fuisset Ludouicus Forosempronianus apud Bouerium ad annum 1533. num. 15. vt non solum in dubium reuocare, sed apertis terminis probare conatus sit Ioannem Pisottum non fuisse verum & legitimum Ministrum Generalem ordinis Obseruantium. Audiamus ipsius verba quę citato num. 15. habentur.

An non qui supremum hunc in ordine primatum sibi vendicat, prius legitimum se Generalem Ministrum; & iuxta Leonis Decimi Constitutionem legitimè electum ostendere debet? Attendat lector superbi hominis (talis enim & à Bouerio ac Capucinis habetur) ineptiam. Cuinam debebat ostendere se legitimè electũ, qui à toto Ordine pro Generali habebatur, honorabatur; & iam circa triennium, cum maxima omnium satisfa-

 ctione

ctione eum rexerat? de quo nemo dubium mouebat, nisi iste Ludouicus, qui se à Religione (legitimene, an illegitimè, hic iam non disputo) separauerat. Ipsius proculdubio erat contrarium probare si agnoscere nolebat Superiorem ab alijs omnibus pro tali habitum, & diuturna ac pacifica possessione exturbare volebat; quod nec ipse, nec vllus hominum, cum ratione poterat vel attentare.

Demus tamen locum insulsæ hominis indocti obiectioni, vt eo magis veritas declaretur: *Leonis*, inquit, *Decimi constitutio sic habet: electio vero Ministri Generalis fieri debeat à solis Ministris Prouincialibus & Custodibus reformatis. Tum paucis interiectis. Volumus, & etiam ordinamus, quod nullus Pater possit eligi in Ministrum Generalem nisi vitam ducat reformatam, & pro reformato à communitate reformatorum habeatur in præfata vero obiectione* (electione dicere debuerat) *Ministri Generalis nullus penitus vocem habeat, nisi reformatus, & pro reformato à Congregatione reformatorum habeatur.* Subsumit Ludouicus nec eligentes fuisse reformatos; nec Ministrum contra quem agebat; posse ostendere se reformatum, inter reformatos vitam ducere: *ipsa*, inquit, *veritate apertè vndique reluctante*. Ex quo tandem infert: *sciat ex Pontificis decreto ab omni se huiusmodi primatu ac potestate excidisse*. Confirmationem adijcit: *quia perspectum est Generali Ministro primatum in toto ordine ob regularem dumtaxat obseruantiam à Pontifice delatum fuisse: quo pacto itaque, ea tam in capite, quam in membris dilapsa, integer illi esse potest?* sic argumentatur Ludouicus Forosempronianus. Nec mirum: ipso enim Bouerio teste ibidem: *tenui litterarum peritia præditus erat*. Hoc miror, Bouerium tam futilia & puerilia argumenta tanquam vrgentia, imo conuincentia, in suam historiam couiecisse, idque quia Ludouicus, non obstante imperitia, *plurimum* (Bouerio teste & iudice) *ingenia ac solertia præstabat; eamque in agendi prudentiam præseferebat: vt res ipsius tametsi arduas, ac difficiles etiam pro dignitate tractaret*. Verum periculosa sunt magna ingenia & simul indisciplinata; quæ dum liberius sine regulis, et pro affectu vagantur, facile excedunt limites prudentiç; quam non prçseferre; sed habere necesse est ad negotia pro dignitate tractanda. Sed ad rem veniamus.

Concedo pontificem Leonem Decimum, redactis in vnum corpus

corpus Ordinis omnibus Regularis obseruantię studiosis: *ne caput à suis membris difforme appareat*, decreuisse neminem in posterum posse eligi in Ministrum Generalem, aut Prouincialem, neque in ista electione votum actiuum aut passiuum habere, nisi vitam ducat reformatam, et à communitate reformatorum pro reformato habeatur. Ex quo putat Bouerius suum Ludouicum rem totam confecisse, & electionem Ioannis Pisotti irritam probasse. Pręsertim ex eo quod addatur: *Quod si in futuro quidquam in contrarium attentatum fuerit irritum penitus & inane habeatur*. Verum quoad maiorem non est difficultas; at si, vt oportuerat, ea quæ in Bulla sequuntur inspexissent Ludouicus & Bouerius; non puto quod tam absurde, contra charitatem, & veritatem subsumere præsumpsissent.

Prosequitur ergo Pontifex: [prætcrea, quia de reformatis, ac purè, ac simpliciter Regulam beati Francisci Obseruantibus sæpius in sequentibus & præcedentibus mentio habetur; volumus & declaramus sub nomine reformatorum, ac purè ac simpliciter regulam beati Francisci huiusmodi Obseruantium comprehendi omnes & singulos infrascriptos, videlicet, Obseruantes, tam de familia, quam reformatos sub Ministris, ac fratris Amadęi, de Coletanis, Clarenis, de sancto Euangelio seu de Caputio, ac Discalceatos nuncupatos, aut alios similes, quocumque nomine nuncupentur, & Regulam ipsam beati Francisci purè & simpliciter obseruant.] Videant nūc disputatores illi qua ratione ausi fuerint subsumere R. Patrem Fratrem Ioannem Pisottum non fuisse reformatum, aut pro reformato habitum: cum illud subsumptum ipsemet Pontifex implicitè negauerit, declarando Obseruantes, inter quos erat & reputabatur Reu. Pat. frat. Ioannes Pisottus, pro reformatis se habere, & esse habendos, illos vocem actiuam & passiuam in electionibus habere. Quid ergo Reu. Pat. Ioanni Pisotto defuit quominus in Ministrum Generalem eligi potuerit? qui ab ipsomet Pontifice Clemente Septimo anno 1528. constitutus fuerat Vicarius Generalis ordinis Obseruantium, vt ex libro secundo quartæ partis chronici cap. 51. supra diximus; quo actu Pontifex eum reformatum & qualificatum esse ostendit, vt toti Ordini Generalis pręficeretur. Quid defuit Electoribus, Ministris scilicet & Custodibus Ob-

seruantium, vel aliorum reformatorum ipsis in eodem corpore Ordinis adunatorum; qui insistentes Pontificis vestigijs, eum elegerunt, quem ille antea dignum indicauerat, & iudicauerat?

Non video quę his opponi possint nisi calumniæ, quibus continuò Bouerius cum suis, vel ex suis ordinem Obseruantium aspergit: videlicet Obseruantiam tam in capite quam in membris defecisse; non defuisse quidem Obseruantes nuncupatos, sed reipsa tales non fuisse.

Verum has calumnias puto me sufficienter ante refutasse, & in posterum adhuc clarius falsitatis conuictarum. Nunc hoc solum dico: Obseruantes nuncupatos pro talibus habendos esse, donec tales non esse probentur, & legitima authoritate ab ijs quibus id competit, declarentur. Quis autem Pontifex post paucissimos vnionis annos (in qua eos Leo Decimus tales esse, & habendos esse declarauerat) non esse amplius Obseruantes declarauit? Imo, nonne Clemens Septimus contrarium ostendit, dum Ioannem Pisottum tanquam Obseruantem Obseruantibus præfecit?

Hoc rogatum voluissem Ludouicum vel alium quemcumque, qui eius partes tueri voluerit; si Obseruantes & reformati non fuerint (saltem secundum eorum mentem) electi tunc temporis, & electores, vt proinde irrita & inanis fuerit electio; vbi tandem illi quæri debebant? certè vbique clamant Obseruantiam tam in capite quam in membris defecisse, collapsam & pessumdatam nemine opem ferente: nullam in Ordine sub Obedientia Superiorum procedere potuisse reformationem. Nihil igitur aliud restabat, quam vt dicerent in Ordine collapso nullum potuisse esse legitimum Ministrum Generalem; & sic primatum Ordinis ad Capucinos esse deuolutum; quorum reformationem *in caput Ordinis esse erectam* dicere præsumpserat Bouerius in Apparatu. Eo tendunt omnia isthæc argumenta; quamquam conclusionem tanquam nimis absonam, & à veritate alienam, apertis terminis exprimere non audeat.

Viderunt nihilominus multi inter primos huius reformationis alumnos, legitimam hanc Ministrorum Generalium in Ordine Obseruantium vsque ad sua tempora successionem, ita integram & claram, vt nulla eam apparenti ratione oppugnare;

gnare; nulla tergiuersatione dissimulare potuerint. Angebantur exinde multorum intelligentium & timoratorum conscientiæ; quomodo isti puncto regulæ cap.1. *Alij Fratres teneantur Fratri Francisco & eius Successoribus obedire* satisfacerent illi qui se ab Ordinis & Prælatorum eius successorum sancti Francisci Obedientia subduxerant. Nam legitima semper successione in Minorum Obseruantium Ordine permanente, non dabatur Vicarijs Capucinorum Ius & locus succedendi. Quapropter R.P.Franciscus Aesinus Capucinorum Generalis ad annum Christi 1543. num.30. refertur Fr.Ioanni à Metymna demandasse, vt huius & aliorum dubiorum resolutionem à Christo exposceret. Anno vero sequenti num.27. refertur Christus eidem respondisse: *discant Fratres Obedientiam, cui ex Regulæ præcepto obstringuntur, tribus potissimum deberi, primum mihi, cui etiam sancti Euangelij obseruantia promittitur; deinde Pontifici Romano, tanquam Ecclesiæ capiti, ac Vicario mihi subrogato, cui per omnia parere debent. Postremo Beato Francisco ac successoribus suis, quemadmodum in Regula explicatur, vt Religiosæ Hierarchiæ ordo, ac forma seruetur, quæ subordinationem ad vnum Religionis caput includit.* Hactenus Christus apertè & intelligibiliter locutus refertur. At postquam ad punctum difficultatis venitur, videtur, Bouerius suas ratiunculas ita miscuisse, aut suo saltem stylo temperasse verba Christi, vt magis Bouerium quam Christum sapiant: *Disce igitur veram apud me Ministrorum Ordinis successionem non ab antiquitate, ac diuturno annorum curriculo, neque ab Ordinis primatu* (nota) *sed à legitima institutione, ac præsertim à Regulæ Obseruantia censeri. Hæc enim sola apud me robur & pondus nanciscitur: ita enim olim prædicauit Paulus dicens: Non enim omnes qui ex Israel, ij sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij. Quod ipse quoque in Euangelio non obscurè docui: cum Hebræos alloquens, qui se ex antiquo Abrahæ generè satos gloriabantur: ijs obtestatus sum: si filij Abrahæ estis opera Abrahæ facite.* Ego credidi, & credo *Christum esse filium Dei viui qui in hunc mundum venit;* & verissima esse omnia quæ ipse dixit indubitanter credo. Verumtamen Bouerio, (salua ipsius pace) non credo hæc tanquam Christi dicta referenti: quis enim ibi strophas & ambiguitates non videat? dum veram Ordinis Minorum successionem ab antiquitate, diu-

turno

turno annorum curriculo, atque ab Ordinis primatu dicit non dependere: sed à legitima institutione, & præsertim à Regulæ Obseruantia censeri. Vix puto sine Christi iniuria, hæc illi verba adscribi posse: nam in essentia sua successio hæc includit antiquitatem, annorum curriculum, & primatum. primatus enim est illud in quo debent diuersi sibi mutuo succedere: videlicet in potestate Superioris, & Ministri totius Ordinis; quæ primò in Beato Patre Nostro Francisco fuit, ipsoque vel resignante, vel moriente, in alios deriuata est: donec per diuersa annorum curricula, alijs illis succedentibus vsque ad Capucinorum & nostra tempora deuenit.

Legitima institutio facile quidem intelligi potest facere legitimum Superiorem; sed successorem facere non potest, quãdiu is qui legitimè successit est superstes, & manet in possessione illius rei in qua succedendum esset: & quàm non nisi vnus solus obtinere potest, sicut in regula cap. 8. vnus solus Minister Generalis agnoscitur: *Vniuersi Fratres vnum de fratribus istius Religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum & seruum totius Fraternitatis. Et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente electio successoris fiat &c.* Viderint reformatores isti quomodo secundum hunc regulæ passum legitimum Beati Francisci successorem obtinuerint.


Minus adhuc successorem facit Regulæ obseruantia, quæ bonum quidem & verum religiosum constituit; sed ad legitimum sancti Francisci Successorem & Superiorem Ordinis, propemodum impertinens est: si etenim defectus Obseruantiæ superioritatem tolleret, & Obseruantia talem faceret. Daretur ansa multis inobedientijs, & mille abusibus: pro vt patet in simili, in pluribus hæreticis, qui ad Ecclesiasticam Superioritatem statum gratiæ & bonam vitam requirebant. Vnde ea omnia quæ in Bouerio supra tanquam reuelata narrantur, implicitè contra Ordinem Obseruantiam à Bouerio vel aliquo alio excogitata videntur, & ad punctum propositę difficultatis omnino impertinẽtia, Christo Dño male adscribũtur.

Pauca hæc solum ad rem faciunt, & à Christo dicta credi possunt: *caput habeant diuina mea prouidentia constitutum, Apostolicaque Romani Pontificis, Vicarij mei potestate electum, eidem tanquam legitimo B.P. Francisci Successori parere debent: quo fit vt frustra alios successores quærant, inanique seipsos timore sollicitent.*

citent. Vbi tamen hoc notandum est non dici caput sic constitutum & electum esse successorem, sed tanquam tali parendum esse illi quem diuina prouidentia, & Sedes Apostolica in caput præfecit. De quo dubium mouere ego nolim, nec mouere debuit Generalis R.P. Franciscus Aesinus, vel alij Patres Capucini; vt ob hoc opus esset ad reuelationes extraordinarias recurrere, quæ incertiores sunt: cum Romani Pontificis determinatio, qui est supra Regulam meritò eos debuerit quietare.

QVAESTIO Decimaquarta.

An primi istius reformationis Patres, ante legitimam ab Ordine exemptionem; debitæ ex Regula obedientiæ & reuerentiæ satisfecerint?

ICET à subiectione Ordinis, & Ministrorum Generalium, excusari possint RR. Patres Capucini, post tot Pontificum diplomata, & concessiones quibus ab ijs exempti, proprijs Vicarijs Generalibus subijciuntur. Nescio tamen quomodo saltē in foro externo, excusari possint Matthęus à Basio, & Ludouicus Forosempronianus, cum fratre suo à transgressione istius pręcepti Regulæ: *Fratres teneantur fratri Francisco, & eius successoribus obedire*, dum nulla adhuc habita Pontificis facultate; nulla Superiorum obtenta, imo nec petita licentia, agressi sunt loca Obedientiæ, sub prætextu reformationis impetrandę; & quidem vt de Matthęo Basio scribitur pro impetranda licentia deferendi talem formam habitus, qualem ipse sine alicuius consensu assumpserat.

Excusat actum Matthęi Pater Bouerius per compertam viri sanctitatem, & reuelationes aliquas, quas habuisse vnum refert ad annum 1524. quibus Franciscus in tali habitus forma, qualem antea à pātre quodam didicisse dicitur n.49. illi apparuit & vocem de cœlo loquentem audiuit: *Matthae hac est*

est voluntas Dei vt regulam perfectè obserues ad litteram, ad litteram, ad litteram. sed quid hęc ad rem faciunt? scimus omnes sine noua reuelatione & voce delapsa cœlitus, eos qui Regulam sancti Francisci professi sunt teneri eam obseruare ad litteram, ad litteram, ad litteram. Sed numquid ideo indultum erat Matthęo à Deo, sine petita & obtenta licentia conuentum exire? quod prohibitum erat in Regula *ad litteram, ad litteram, ad litteram.* Ideone habitus formam priuata authoritate mutare, & pro illa ad Sedem Apostolicam recurrere concedebatur? cum forma habitus quo totus Ordo tunc vtebatur esset per eandem Sedem Apostolicam approbata.

Dixi me non scire quomodo sint excusabiles *in foro externo*, idque propter hunc Matthęum Bassium; quem (vtpote hominem sanctum) facillime mihi persuadeo bona conscientia processisse; excusante illum vel inculpate ignorantia quę facile locum habere poterat in homine qui plus pietati, quam scientię studuerat: vel vlteriori Spiritus sancti inspiratione: quia reuelationes à Bouerio allatę, meo iudicio, ne pro foro quidem conscientię sufficiunt.

Foro tamen externo & Superioribus non video quomodo satisfecerit; id licet contendente modis omnibus Bouerio; idque propter vocem è cœlo delapsam, agnitam vitę integritatem, innocentiam, & virtutum pręcellentiam. Quasi vero homines sancti dum adhuc viuunt labi non possent, vel saltem indiscretionis actus committere, quibus merito alij offenderentur, & ipsi humiliarentur. Verum si adeo bonus & sanctus erat; quid opus ipsi erat per media tam extraordinaria quęrere reformationem pro sola sua persona, vt dicitur? Perfectam sancti Francisci imitationem, quam sibi assequendam eum proposuisse refert Bouerius, in ordine sub obedientia simplici superiorum, in qua antea non religiose tantum, sed & sanctè vixit, ad quam etiam postea redijt, consequi poterat. Sola erat forma habitus, cui superiores sese oppositures timebat, idque non sine ratione, tanquam rei friuole, & meram tantum difformitatem causaturę. An illa tanti momenti fuerit, vt propter illam non petita licentia conuentum exire, & ad Sedem Apostolicam recurrere licitum fuerit, cuilibet prudenti iudicandum relinquo. Hoc scio rem esse pessimi exempli & consequentię talibus prętextibus, neglecta immediato-

diatorum Superiorum Obedientia, etiam ad mediatos Superiores recurrere; quanto magis sedem Apostolicam adire quod facientes, in nostris statutis generalibus à Sede Apostolica approbatis, merito quo apostatis habentur, & tanquam apostatæ puniendi censentur. Quod non dico vt culpem conscientiã Matthæi à Basſio; sed vt ostendam nemini mirum videri debere, si contra ipsum talia agentem Superiores Ordinis rigidius, seruato iuris Ordine, processerint, qui licentiam à Pontifice sine scripto obtentam, reuelationes, vel alias excusationes pro scientia in re scandalosa & pessimæ consequentiæ attendere nec debuerunt, nec potuerunt.

Ludouicus vero Forosempronianus licentiam transferendi se ad locum reformationi aptum refertur quidem petijsse ad annum 1526. num.14. verbis à Bouerio eleganter compositis, sed non sine comminatione: [Quod si mihi id abs te negatum fuerit, certissimè à beato Francisco mihi concessum iri confido: cuius mens, verbis non semel ab eo explicata, ea fuit, vt in generali regularis Obseruantiæ naufragio, cuique liberum sit, etiam absque Prælatorum licentia, seipsum naufragio eripere, ac regulam, vbi melius visum fuerit, obseruare id te haud ignorare non dubito, quapropter obtestor hodie, nihil minus mequam apostasiam ab Ordine cogitare, aut moliri, si ad Matthæum facultate haud impetrata, abiero. Eam tamen mihi abs te, pater, benignè elargiri etiam atque etiam rogo, ac supplex exposco.] Hęc fuit humilis & reuerentialis obedientialis & supplicatio Ludouici, qui coram toto conuentu Reuerendo suo Ministro Prouinciali falsò improperabat Generale regularis Obseruantiæ naufragium; minabatur, si licentia petita recusaretur, se absque ea facturum, quod per Leonem Decimum expressis verbis per obedientiam erat prohibitum; videlicet ne schismata vel nouæ reformationes sine expresso Ministrorum assensu inducerentur. Nihil ergo miri, sed summę rationabile fuit, quod propter hunc excessum, non exauditus, sed punitus fuerit.

Verum est quod Regula sancti Francisci cap. 10. dicit: *Vbicumque sunt fratres qui scirent & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter obseruare, ad suos Ministros debeant & possint recurrere. Ministri verò benignè & charitatiue eos reci-*

piant &c. Sed quis poterit dicere non potuisse Ludouicum hunc, in obseruantium monasterijs, in quibus tot fratres spiritualiter & sanctè Regulam obseruabant, eamdem obseruare? Et vbi legit Ministris aliud iudicantibus, licitum esse subditis eorum obedientiæ sese subducere, & pro suo nutu & captu alio se trásferre? Profectò ex talibus principijs multæ malæ consequentiæ orirentur.

Persistens nihilominus Ludouicus in suo proposito (quamuis aliud coram Ministro Prouinciali simulasset) [scribit ad Generalem Ministrum Franciscum Quignonium (alias Franciscum Angelorum) virum omni virtutum genere ornatum, & ob præclara merita à Clemente Septimo deinde in Cardinalium numerum cooptatum. Qui lecta epistola ad Ludouicum humanissimis verbis rescribit: nihil sibi iucundius accidere posse, quam viros reformationis studiosos, ac perfectos Regulæ cultores in Religione ostendere: quorum opera ac studio reformatio, quæ iamiam in Ordine inchoanda est, feliciora incrementa suscipiat. Verum aliquantisper illi expectandum esse suadet, donec plurimorum consilijs auspicata, stabile principium, ac firmiorem sedem accipiat. Interim illi nihil innouandum esse.] Hæc omnia ad verbum Bouerius ad annum 1526. num. 20. sed breui linearum interuallo ita sui obliuiscitur, vt eum quem antea virum omni virtutum genere ornatum agnouerat; qualem etiam chronica Ordinis describunt, dicat Ludouico verba dedisse, vt eum vana pollicitatione compesceret. Quod licet sine tanti viri iniuria dicere potuisset, quatenus ibidem addi suspicatum fuisse Ministrum Generalem quod *Ludouicus iuuenis, necdum trigesimum annum attingens, nulla dignitate in ordine, ne concionatoris quidem munere effulgens, animi potius lenitate, quam solido spiritu duceretur*. In progressu tamen conceptum animo virus contra ipsum indiscretè euomit, dicens sequenti numero quod *Ludouicus in hoc Generalis Ministri responso, nihil præter vanas pollicitationes, atque inutiles moras, quibus expectationem suam deluderet, contineri animaduerterat*. Quibus verbis Bouerius temerario Ludouici iudicio suum quoque calculum adijcit; vt scilicet ostenderet, non exspectato assensu promisso, rectè Ludouicum ad Cardinalem Protectorem recurrisse *per literas quibus cum delapso Religionis statu, Regulæ inobseruantia,*

uantia, ac communi animarum periculo certiorem reddit. Per Christi viscera orat, obsecratque, vt miserrimo rerum statui, ac in peius collabenti manus porrigat, atque ab extremo interitu, hac præsertim tempestate vendicet; quando ipsi Ordinis Prælati lapsum fouent, & communem Regulæ inobseruantiam, in ijs præsertim quæ votum paupertatis attingunt, sua authoritate enutriunt ac communiunt. En obedientiam & reuerentiam illorum adhuc supditorum erga tam pium & venerabilem Superiorem.

Ad has litteras Ordinis Protector, qui erat, Bouerio teste, Andreas Cardinalis à Valle, respondit. Cum mens Pontificis esset, vt huiusmodi reformationis negotia ab Ordinis Superioribus gerantur: ijs seipsum minimè ingerere posse, aut debere, ne falcem in alienam messem mittere videatur.

Ne tamen aliquid Bouerius vnquam omittat, quod in despectum Ordinis cedere videatur, præmittit: Quod *cum* hic Cardinalis *pluribus Religionis morbis mederi vellet; qui Ordinem moderabantur rem ægrè ferentes, de eo apud Pontificem conquesti, ab ipso impetrauerant, vt Cardinalis Protector vltra certam ac statutam authoritatis metam, sese Ordinis rebus non immisceret. Qua re Cardinalis pertæsus hoc responsum dederit.* Sic noster Bouerius vt Ordinem Obseruantium culpet; suos autem Auctores vel promotores iustificet: etiam Pontificem non veretur implicitè reprehendere: quasi *viro ingenio, ac rerum agendarum prudentia plurimum commendato*, qui morbis pluribus mederi rationabiliter vellet, ob querelas infirmorum infirmi corporis capitum, irrationabiliter authoritatem imminuerit ac limitauerit. Sed pensare debebat Bouerius quam miserabiliter superiorum regimen turbetur, si cuilibet pro re qualibet pateat recursus contra Superiores extra Ordinem, & ad homines sæculares; qui licet prudentes sint, non nouerunt tamen plerumque subditorum miserias & conditiones: vnde pro dolor! nimis sępe contingit, per nimiam talium audientiam, in tantum turbari disciplinam ac regimen; vt vix tandem, meliori facta informatione, possit restaurari. Accedit in hoc casu particulari, quod non per aliquam restrictionem authoritatis Protectoris, à Superioribus impetratam occasione supradicta, hoc vetitum fuerit. Sed ab initio con-

solidati Ordinis Obseruantium per Bullam vnionis, commissa sint Ministris Prouincialibus & Generalibus negotia reformationis; sine quorum expresso consensu per Obedientiam ea attentari vetabantur. Vnde si Protectores ea sibi attrahere voluerint, decreto Pontificis contrariabantur, & proculdubio Pontificem intento fine, ordinemque pace & vnitate, fraudabant.

Interim dilata à Generali Ministro licentia; à Protectore vero negata: Ludouicus cum Fratre suo Raphaele Laico, *geminas à consanguineis rudioris ac crassioris panni tunicas sibi parari curant; quibus vbi quadrata caputia, absque lunula & scapulari assuerunt; his non sine lachrymis induti, intempesta noctis hora e monasterio exeunt, iterque ad Matthæum dirigunt*, Ita Bouerius ad annum 1526. num.28. vbi manet hic præceptum illud: *Et alij Fratres teneantur Fratri Francisco & eius successoribus obedire*? Vbi paupertas. quæ vetat sine Superiorum Licentia aliquid dare vel recipere? Illi ab amicis, inscijs Superioribus, tunicas compararant habitum Ordinis immutant sine alicuius authoritate, & furtiuè conuentum egrediuntur intempestà nocte.

Quæ tamen omnia vt Bouerius excuset, imo tanquam benefacta cómendet, dicit cótigisse accedéte *Theologorum & Iurisperitorum consilio qui re omni studio ac diligentia examinata, liberum illis ad Sedem Apostolicam aditum patere sentiunt*. Vtinam examinari possint illi Theologi & Iurisperiti (si verè aliquos consuluerint) an casus fuerit ipsis cum omnibus suis circumstantijs debitè propositus? An dictum fuerit, à Religiosissimo Generali spem & promissum datum de concedendo loco ad vitam reformatam ducendam, modo nonnihil exspectaretur, donec meliori & communi consilio res inchoaretur, stabilius perficienda; additum fuisse mandatum ne interim quidquam immutaretur. Sanè supponendum est illos indiscretè zelosos rem proposuisse, pro vt ipsi falsò eam apprehendisse sæpius referuntur; scilicet à Generali Ministro & alijs omnia fictè agi; eos inobseruantiam souere, reformationi contrariari &c. Deinde si resoluerint quod pateret liber aditus ad Sedem Apostolicam; quis resoluit, vel prudenter resoluere potuit, eis esse liberum sine Apostolicę Sedis, vel vllius licentia; imo contradicentibus Superioribus pannos comparare à

con-

consanguineis, habitus formam mutare; Conuentum furtiuè egredi, iterque ad Matthæum Bassium dirigere? *quem Apostolica authoritate munitum* tantùm *opinabantur*, *qua & alios sibi associare posset*. An hoc satis erat vt sapienter agerent? ad quid putare vel opinari non sufficit in re tanta. Nonne debuissent melius rem examinare antequam paupertatis & Obedientiç limites tam manifestè transgrederentur?

Et tamen nimio rerum suarum amore vsque adeo cæcutiç Bouerius, vt hoc Dei opus, & à Deo profectum esse euinci putet, quo Capucinorum reformationi viam sterneret. Non inficior si eo modo intelligat Dei opus quo venditio Ioseph in Aegyptum dicitur diuino consilio facta; *pro salute, vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum*. *Gen.*45. *vers.*5. Eo sensu quo dicitur *Deus Semei præcepisse vt malediceret Dauid*. 2.*Reg.*16. *vers.*10. Sicut negatio & interfectio Christi dicitur Dei opus & medium quo redemptionem impleuit: *Deus qui prænunciauit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, sic impleuit*. *Actor.*3. *vers.*18. In quo nihil arbitror me derogare sancto Capucinorum instituto, quod pro tali habeo & profiteor; sed dico omnes modos & media ad illius introductionem adhibita, esse non à Deo positiuè & specialiter cooperante; sed permittente solum: vtpote *qui melius iudicauit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere* vt loquitur Augustinus in Enchiridio cap.17.

Huius intellectus occasionem & argumentum suspeditat mihi Bouerius scribens num.23. *Quod si ante actam Ludouici vitam ac virtutes, quæ fuerint, inquirimus: in ijs nihil aut eximium, aut singulare se offert, quod insigne aliquod egregij operis futuri specimen præmonstraret: sed communem vitam, communem Obedientiam, communem cibum, communia ieiunia, communes virtutes, communia denique omnia in eo aduertimus. Si quid in eo singulare fuit, id sanè non reformationis studium fuit, quo plurimi ante ipsum, & fortè ipso feruentius incaluerant; sed in reformationis studio prosequendo audacia, quæ plerumque plurima ibi esse solet vbi minor prudentia versatur*. Quanta vis veritatis! quæ etiam inuito contra seipsum solet erumpere. Accepto confessionem, & laudo vera dicentem Bouerium: atque inde infero feruentiores istos, & simul magis obedientes ac modestiores reformationis studiosos, melius sibi & ordini

con-

consuluisse; dum meliores & vtiliores reformationes obtinuerunt & instituerunt; quæ etiamnum Ordinem in suo vigore conseruant.

Sed quomodo hæc ad Dei consilium & opus speciale reducit industrius noster Encomiastes potius, quam historicus? *Ea verò* (audacia) *cum ex calido naturæ temperamento, ac biliosa aut sanguinea corporis complexione oriatur, Ludouicus naturæ potius donum, quam virtutis excellentiam, Deo ad reformationis opus videtur administrasse*. Egregium argumentum! Hoc opus ex parte Ludouici fuit potius naturæ quam virtutis; ergo fuit specialiter opus Dei. Si opus Dei intelligeret vt ante explicui, nihil obsisterem; verum non video quomodo rectè inferat opera Ludouici ex audaci & bilioso naturę temperaméto facta (quę mala fuisse, vt existimo, satis ostendimus) fuisse specialiter opera diuinæ virtutis, hoc libenter concedo, quod & ipse fortè principaliter intendit, bona quæ inde exorta sunt, eo specialius Deo esse adscribenda; quo ex malis initium sumpserunt.

Porro Ludouici opera non bona sed mala fuisse ex Bouerio colligitur ibidem num. 29. vbi ipsi *diuinæ sapientiæ occulta lubet expendere*; sed ea secundum propriam sapientiam, vel affectum potius explicare maluit, quam in statera iusta ponderare. *Qui enim*, inquit, *propriæ reformationis opus, velut Leones hactenus impauidi aggredi videbantur, vix e monasterio egressi, tam ingenti pauore concuti cæperunt, vt leporum, aut ceruorum instar, ad omnem vel suorum pedum strepitum ex pauescentes, vmbram suam metuere viderentur, tam enim Fratrum insequentium furias formidare visi sunt, vt cum die in syluis atque antris præ metu latitarent, noctu tantum iter facerent. Verum qui gratis impugnator* (ait Ambros. in Psalmum 118.) *Fortis debet esse & constans . . . . trepidare infirmitatis est atque formidinis*. Fateor ex eodem Ambrosio *esse etiam infirmitatem aliquam ad salutem & timorem sanctorum*; sed iste potius videtur fuisse inobedientium & male agentium, qui redarguente conscientia iustas reprehensiones & punitiones formidare solent si enim Dei instinctu & zelo ducebantur, (qualem habere deberent qui eiusmodi opera aggrediuntur) licet fortè ex toto naturalem aliquem pauorem excutere non potuissent; magis tamen fuissent confisi illi, cuius instinctu o-

pus

pus hoc aggrediebantur. Vnde meritò dicit Bouerius: his illos Deus terroribus pulsari voluit, vt quam modicum suis viribus fidere deberent aduerterét putarem ego addẽdum fuisse vt discernerent meliori consilio, maiori cum humilitate, modestia, & obedientia tantum opus aggredi debuisse.

Ex his omnibus existimo posse concludi istos reformatores non satis pro initio seruasse fundamentale præceptum obediẽtiæ: ac proinde Ordinis Superiores, verosque sancti Francisci successores habuisse grauissimas & iustissimas causas opponendi huiusmodi procedendi modis, tam inordinatis; præsertim cum ipsi pacem & quietem Ordinis intenderent, atque etiam reformationem Religionis, vbi ea opus esse iudicabant, de facto ad opus cæpissent applicare.

QVAESTIO
Decima quinta.

An vnionem à R. P. Vincentio Lunello Obseruantium Generali Ministro propositam RR. PP. Capucini religiosis modis & rationabilibus titulis respuerint.

EM R. P. Bouerij verbis exscribo ad annum 1536. num. 19. [En noua in Religionem procella concitatur atque eò periculosior, quo sub auræ fallacis flatu, certum illi naufragium minabatur. Nouus enim Minorum de Obseruantia Minister generalis, qui Lunellus cognominabatur; cum Capucinorum Congregationem aperta vi minime euelli posse intelligeret alijs machinis euertere illam cogitat quia nimirum Pontifici suggerebat expedire vt Capucinorum reformatio cum ea quæ in Obseruantium Ordine iam iam excitanda erat, in vnum reformationis corpus, sub vno Generalissimo Obseruantium capite coalescat; inde enim futurum dicebat, vt nec tot corporum monstra sub vna Religione conspicerentur; nec illa Capucinis vnio incommoda esse possit, cum sua ipsis priuilegia integra seruentur, solis dependentiæ (credo quod independentiæ dicere voluerit) ac caputij deferendi priuilegijs exceptis, vt omne ab hac vnio-

vnione deformitatis monstrum expellatur. Quod si ij tenacius caputio inhęrere velint haud se dissensurũ affirmabat : dũmodo illa reformatorum vnio sub Generalissimo capite fiat. Cęterumvt ab hac vnione, ex qua totius Ordinis pacem, ac tranquillitatem pendere asserebat (meo iudicio non immerito) Capucini minime dissentirent, ijs loca omnia,quæcumque sibi in Ordine elegissent collaturum spondet : identidem Fratres ad reformationem prouocaturum, denique in ea tum tuenda, tum propaganda, omni ope, ac patrocinio illis ex animo ad futurum pollicetur.

Datur hic locus Emblemati quod Religiosus quidam Prouinciæ nostrę Pater proponere lepide solebat, depingẽdo videlicet ab vno latere fratrẽ Minorẽ Obseruantem; ab altero Capucinum. quemque in habitu suo, in medio vero forfices cum hac inscriptione. *Aequat omnia*. Abscissa nimirum barba & caputij nimia longitudine, nullam inter Obseruantes & Capucinos remansuram putabat differentiam, neque vllum vnionis impedimentum.

Dolebat pijssimus Generalis supra nominatus, qui & ipse Regulę Obseruantium zelabat, tantillis rebus pacem & trãquillitatem Ordinis prępediri; vsque adeo vt etiam differentiam caputij tolerare paratus esset, & forte etiam habitum Ordinis accomodare (vtpote in re parui momenti) vt sic posset filiorum Francisci, provt decebat, *esse cor vnum & anima vna*, eoque facilius in vnum Religionis corpus sub vno Ministro Generali secundum exigentiam regulæ coirent.

Quis hic non cogitaret litem terminandam, facta propositione tam rationabili, & fauorabili PP. Capucinis?

Verum omnino contrarium euenit : responderunt enim boni isti Patres ad articulos pacis, non rationes, sed amaritudines Bouerium audiamus sup. num. 20. *Hac Generalis Lunellus, tametsi haud meliori animi sententia, quam qua hac prior Pisiota tentauerat proculdubio duceretur* (vbi charitas quę malum non cogitat, & vbi est iustitia quæ vetat temerè proximum iudicare?) *attamen tam grauiter, tamque appositis verbis, ac rationibus rem persuadere cœpit; vt Pontifex hac publicæ quietis ac tranquillitatis spe allectus totam rei summam sex sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ex quibus tres sibi quæque pars eligeret Apostolica authoritate determinandam commiserit.* Subijcio

cio nunc ex eodem *nonnulla responsionum capita, ac potissimas rationes* (vt ipse eas vocat) *allegatas* à Patribus Capucinis *in tam graui*, ; vt vult Bouerius, *religionis suæ periculo, vt vnio à Generali Ministro prætensa respueretur. Ex schedula deprompta ex antiquissimis istius religionis monumentis, quæ in archiuo illorum Romano asseruantur.*

Præmisso igitur imprimis ad annum 1536. num. 22. quod ab exordio continue Patres de Obseruantia Capucinorum congregationem validissime oppugnassent, & in ipsius necem & interitum conspirassent. Addit quod Obseruantium Ordo, & ipsemet Generalis haud inficiantur reformatione sibi opus esse: quæ diu expectata, non nisi delationes & promissa conspiciuntur. Venit ad rem. *Iam vero quo pacto hæc duo sibi cohærere valent? optima scilicet, ac perfecta in ijs qui iam reformati sunt vita, ac regulæ Obseruantia, in alijs vero publica inobseruantia, ac reformationis necessitas?* Responsio in promptu est ad calumniosam hanc obiectionem; etiam dato quod verum esset, id quod ibi falsò supponitur. Posse cohærere eo modo quo sana & infirma membra in eodem corpore ac sub eodem capite vniuntur; vt per sanorum influxum & auxilium infirmiora sanentur, prout fere emortuum Religionis corpus per Obseruantes fuit præseruatum & sanatum.

Pergunt in schedula: *aut qua ratione tam disiuncta membra sub eodem capite conuenire possent? vt simul qui austerissimè secundum regulam, & qui molliter præter regulam viuunt in vnum corpus coalescant?* quomodo se palpant isti boni viri, & quam durè suos confratres attingunt! Respondeo tamen ea ratione coalescere posse, quo carnes, ossa, pili, vngues in vnum corpus coalescunt, licet sint diuersę rationis, imo & humores sibi mutuò contrarij vt bilis atra & flaua &c. ea ratione, & multo maiori, qua potuerunt Obseruantes tam longo tempore, annis ferè ducentis, coalescere cum Conuentualibus; quorum multi profitebantur se non velle Regulam nisi priuilegijs mitigatam obseruare, quod in Obseruantibus locum non habebat, qui licet (vt Bouerius vult) Regulam non seruassent; profitebantur tamen, pro vt etiamnum profitentur, se debere & velle secundum eam viuere exclusis omnibus priuilegijs relaxantibus.

Sed, inquiunt, *quæ participatio luci ad tenebras? aut quæ con-*

conuentio Christi ad Belial? Sic isti Lucidi Christiani sese luci & Christo, confratres vero suos eiusdem Patris Filios, tenebris & Belial comparant. Detegere calumnias, non regerere in animum induxi; sed cogitare isti debuerant illud Christi, cui se comparant: *qui dixerit Fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis. Matth.5. vers.22.* Cuius ergo reus erit qui tenebras aut Belial eum vocauerit, aut ijs saltem comparauerit?

Denique cum Pastor ouibus vita & exemplo præesse debeat, illudque capitis munus sit, vitam ac spiritum in membra influere: quomodo rectè ouibus præesse, aut Regularis Obseruantiæ exemplo antecedere potest, qui aduersa inobseruantiæ via graditur? vel qua ratione capitis officium obire, aut capitis instar vitam ac spiritum impertiri valet, qui Regularis Obseruantiæ nec spiritum nec vitam sibi vendicat? Siccine liberum illis erat Reu. P. Vincentium Lunellum tanti Ordinis tam præclarum caput (prout ex chronicis ante docuimus), virum qui prudentissimè rexit, sanctè mortuus est, inobseruantiæ condemnare? & tanquam membrum mortuum ac putridum æstimare ac repudiare? sanè tantæ præsumptionis pudere debuisset istius schedulæ auctores; pudere etiam debuisset Bouerium in suorum ac nostram vilipensionem talia propalare.

Nemo, inquiunt, *dat quod non habet*, quasi non posset malus Superior bonos subditos facere; & repudiandus esset vel ipse Pontifex à Christianis, qui (quod Deus auertat) non Christianè viueret: horum enim par est ratio: videant isti Patres ad quæ præcipitia auctores suos deducant hæc argumenta. *Quin potius*, aiunt, *vel eum necesse esset à membris reformatis spiritum accipere*. Quid ni si verè indigeat? nunquid Pontifex malus per bonum Religiosum posset spiritum Christiani hominis accipere? Neque vero *hoc capitis dignitatem euertit*, vt isti imaginantur: nam indignum non est quod manus sauciato capiti adhibeat remedium: imo ad hoc seruire debet reformatio vt membra bene valentia sanent infirma.

Quod sequitur maioris videtur esse considerationis: vel necesse esset caput mortuum in membris sibi vnitis *spiritum ac spiritualem vitam extinguere, quod magis familiare esse solet*. Sic timent isti timore vbi non est timor: nam præterquam quod à viro bono reformationem desiderante & promittente, non

potae-

potuerit rationabiliter timeri malum huiusmodi: insuper illud per pacta & conditiones ab ipsomet Summo Pontifice præfigendas, in cuius manibus tota res versabatur, cuius prudentia & authoritate peragenda erat, præcaueri poterat; præsertim cum sua Capucinis priuilegia integrè seruanda promitterentur, vt fatetur Bouerius: pro vt seruata sunt (licet non sine contradictione) Obseruantibus, & vsque modò inter Obseruantes seruantur recollectis & alijs reformatis. Sanè luce clarius est hos prætextus esse quæsitos ab ijs qui vnionem & obedientiam ad Ordinem à sancto Francisco institutum, & legitimos eius successores refugiebat, prætextu strictioris & sanctioris vitæ tanquam qui non essent sicut cæteri hominum. *At clarius*, inquiunt; *adhuc rem attingamus*. Per me licet, sed vereor ne ad maiorem suam confusionem: pergunt ego nu. 23. *Regula S.P.N. Francisci non propter Obedientiam, sed obedientia propter Regulam condita est. Quid obedientiæ iugum à nobis exquiritur, quod Regulari Obseruantiæ potius obesse, quam prodesse certum sit?* Paradoxa sunt hæc, & si per singula refutanda forent, in immensum excresceret Apologia nostra: errores eorum dixisse, idem esse ac eosdem refutasse & conuicisse.

Nec tamen, aiunt, *Generali Magistro Fratrum Minorum Conuentualium subesse renuimus*. Veniant hic in memoriam rationes antea positæ, & mutatis tantum terminis iterum atque iterum repetitæ: *quæ conuentio luci ad tenebras, Christi ad Belial? qua ratione membra tam disiuncta sub uno capite conuenire possunt? qua ratione capitis officium subire potest qui Regularis Obseruantiæ nec spiritum nec vitam sibi vendicat?* An fucatæ istæ rationes non æqualiter procedunt contra illos qui dispensatam regulam profitentur, & puram Regulæ Obseruantiam promittere nolunt? videntur hoc iaculum præuidisse: vnde & euadere conantur dicendo: *haud ea ratione quod altero melior sit, sed quod nos à Regula Obseruantia non impediat: Capucinos non oderit, non persequatur, non se illis hostem aut infestum præbeat, non eos calumnijs oneret, non eorum apud seculares homines bonum nomen ac existimationem proscindat*. Supple pro vt facit Minister Obseruantium quem eo titulo postponunt & reijciunt & de ipso in terminis dicunt: *hanc à nobis Obedientiam & subiectionem alia ratione non exposcit, quam vt subiectos de-*

 leat.

liat. Sic cum istis, conqueritur Bouerius quasi apud sæculares lederentur & non attendit quod sine probatione hæc allegando & scribendo tam graui maledicentia Venerabilem istū Generalem, & totum ordinem Obseruantium apud deputatos Cardinales denigrauerint isti Patres, & nunc ea in historiam conijciendo apud totum mundum infamet.

Quod si forte aliqui ex Obseruantibus humanum aliquid passi minus beneuoli subinde de Capucinis locuti essent; quod, proh dolor! nimis sępe experimur ab alijs contra Obseruantes fieri; & (quod magis stupendum est) in ijs locis amplius, in quibus magis studemus reformationi; provt mecum plures Religiosi Patres obseruarunt: an statim ista in historijs sic ebuccinanda sunt, & Generalibus ipsis totique Ordini debent adscribi? homines sumus, inter nos habuimus, habemus, habituri sumus; nec ijs carent Patres Capucini: vtinam ergo hoc nobiscum cogitarent, & charitatis pallio, quantum possibile est multitudinem peccatorum vel infirmitatum, quę ab hominibus ex toto abesse non possunt, operiamus.

Tędet me contentum illius infamatorię schedulæ vlterius referrę & redarguere. Summa omnium est: nunquam potuisse, vel posse in Ordine reformationem diu incolumem stare; Ordinem reformari non posse: in quem finem repetuntur & inculcantur, quę antea de capite nec spiritum nec vitam habente, iniuriosè dicta erant: à quo proinde nihil aliud expectari possit, *quamquod secundum præsentem inobseruantiæ statum, etiam Capucinos ad relaxationem pelleret, si illi subijcerentur*.

Hęc sunt eorum principia, quę vt primò vera, ac sensu nota vbique statuunt, ex quibus demum conclusionem atque calumniosam deducunt; quam ipsorum verbis adijcio. *Renouent igitur & reforment seipsos, qui nos subiectos volunt: eosque qui reformate viuant, persequi desinant. Sancti Francisci paupertatem, austeritatem, humilitatem, vti regula præcipit, sectari incipiant* (quasi hactenus nihil factum esset) *tot sumptuosa ædificia, tot pomposos ornatus, tot illicitos ad pecuniam recursus, tot superflua in Ordine amputent*. Aggrediuntur iterum Superiores, *veros ac legitimos se pastores exhibeant qui non aliunde per ambitus ac prensationes in honores irrumpant*. Nescio an hęc de Generali Ministro qui tunc erat Reuerendus

Pater

Pater Vincentius Lunellus, vel de aliquo ex antecessoribus eius probare possint; prout facile contra ipsorum Ochinum, & Ludouicum Forosempronianum, ipsismet confitentibus possumus ostendere. Progrediuntur. [Per humilitatis ostium inuiti ad dignitates rapiantur; creditas illis animas verbo & exemplo pascant: nec sibi, aut alijs, id impossibile esse persuadeant, quod passim fieri intuetur, quodque B. P. Franciscus ac ipsius socij demum tot alij post eos re ipsa fieri posse demonstrarunt. Cumque hoc modo seipsos ac suos conuentus ad perfectam Regularis Obseruantiæ formã reuocauerint: tunc profecto nemine reluctante, hęc inter nos vnio stabiliri poterit; & communi assensu decerni. Fiat vnum ouile & vnus Pastor. Quandoquidem bonus erit Pastor, qui oues pręcedet. Dum vero adhuc discrepantia sunt ouilia, Pastorque alteri ouili est ignotus, vnum ouile esse non potest, nec vnus vtriusque ouilis Pastor. Ob id potissimum quod beatus pater Franciscus illud tantum proprium ouile, ac ouium pastorẽ agnoscat, qui in Regulę obseruantia simul conspirant.] Hic venena latent circa caudam, qua instar scorpionum pungunt; se non tantum pręferentes alijs; sed iudicantes sufficienter non agnoscere sanctum Franciscum ordinem Obseruantium cum suo Generali pro ouili suo, qui vtique in Regulę obseruantiam (vt pręfati fuerant) *simul non conspirant*. *Multum erigimini filij Leui* ob tam leues vel parum fundatas rationes, vel potius suppositiones, non debuissetis tam falso confratres vestros eiusdem Regulæ professores & quidem seniores, apud Cardinales traducere. Sed patiamur iniuriam; & rationibus interim satisfaciamus, & eas non veras; sed fucatas esse ostendamus.

Ad illud principium quo dicitur Regulam non propter obedientiam, sed obedientiam propter regulam conditam esse; responsio patet ex Ioannis XXII. extrauagante: Quorumdam exigit. *Religio perimitur si à meritoria subditi obedientia subtrahantur. Magna quidem paupertas; sed maior integritas; bonum est obedientia maximum si custodiatur illæsa: nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur & animo, quos velut effrenes & liberos dominationi alterius humilis iugo propriæ voluntatis adstringit.*

Interim tam quoad obedientiam quam paupertatem, omnibus

nibus reliqua virtutum religiosarum exercitia reformationibus quotidianis opus esse & nobis, & omnibus profitemur: qui enim de horto suo quotidie non extirpat lolia & zizania, patitur detrimentum in bonis herbis & fructibus. Videant tamen isti an volendo colligere zizania ex horto Ordinis, non eradicauerint simul & triticum, imo an propter zizania hortum ex toto destruere conati non fuerint. Quamobrem oppositiones ipsis factas fuisse sępius professi sumus; an etiam in modo aliqualiter excessiuas, posset fortè aliquis dubitare: nam in iusto zelo modum & mediocritatem seruare fatendum est hominibus esse difficile. Porro persecutores & osores reformationis ob hoc iniquissimè indigitantur Superiores Obseruantium: qui non obseruantiam vel reformationem; sed in reformatoribus inobedientiam, scandala, & schismata, quę metuebant, oderant & impedire studebant.

Quod vero dicant in Ordine numquam hactenus diu potuisse stare incolumem reformationem, falsum euidenter & insulsum est. Falsum, quia Obseruantium reformatio semper fuit in Ordine, & creuit ab anno 1368. vsque ad annum 1517. quo totum Ordinem ad bonam formam reduxit; Insulsum verò, quia ea solum vera reformatio dici potest quę fit in Ordine: nam reformatio extra Ordinem (vt ante ostendimus, & res ipsa clamat) quantum in ea est, potius est Ordinis destructio, & noui Ordinis institutio, quam antiqui reformatio.

Quoad hoc quod in egregię istius schedulę conclusione prętendunt, prius Ordinem ad suum nutum reformari, antequam possit vnio à Generali proposita stabiliri, & ex Obseruantibus ac Capucinis fieri vnum ouile & vnus Pastor; hoc nihil est aliud dicere, quam, quando eritis sufficienter reformati, & æquè sancti ac nos sumus, tunc habebimus inter nos communicationem, & subijciemur eidem capiti.


Forte supponebant boni isti viri (quod cum ratione supponere poterant) in tanto corpore Ordinis toto terrarum Orbe diffuso, nunquam futurum vt in omnibus membris ęquè stricta Obseruantia (quæ non consistit in indiuisibili) & sanctitas vigeat; hoc proinde exigere, est prętextu palliato propositam vnionem recusare. Quod patet in Christi Ecclesia, cui noster Ordo ab initio fuit simillimus: in ea siquidem semper

boni

boni malis immiſcentur: deficiunt ab ea hæretici, ſeparant ſe ſchiſmatici, in vna Orbis parte floret Eccleſiaſtica diſciplina, in altera languet. Habet vbique malos & bonos, perfectos & imperfectos: ſæculares qui conſilia Euangelica non ſequuntur, religioſos qui ea profitentur, quorum alij alijs perfectius illa obſeruant. An iuſtè dicerent religioſi vel boni Chriſtiani Pontifici etiam (quod abſit) malè & non chriſtianè viuenti, malos fouenti, & bonis minus fauenti; reforma te primo & Eccleſiam tuam: poſtea te caput agnoſcemus? talia facile prętexerent ſchiſmatici, & hæretici prętexuerunt; ſed illicitè & malè. Non negant Religioſi ſæcularibus vniri, communicare tanquam membra de membro, ſub eodem capite cohærentia. Imo ideo Deus imperfectioribus membris perfectiora immiſcuit & vniuit, vt per influxum precum, exemplorum, & exhortationum imperfecta reformentur & perficiantur. Videant ergò qui ſibi nimis ſancti & perfecti videntur, quam irrationabiliter vnionem negauerint; etiam dato quod vera forent quę falsò allegata ſunt: præſertim vbi legitimum Ordinis caput eo fine vnionem prætendebat, vt eorum auxilio & conſortio poſſet efficacius reformationem promouere; quæ non modicum impediri nata erat in Ordine, quando ab eo zeloſiores ſeparabantur.

QVAESTIO
Decima Sexta.

Quos abuſus contra Regulam, tanquam manifeſtos Patres Capucini obiecerint Ordini Obſeruantium.



POTERAT videri omnibus tergiuerſationibus præcluſa via, & ſatisfactum eſſe omnibus iſtorum reformatorum obiectionibus per Ioannem XXII. qui in Extrauag. *Quorundam exigit*, ſic prætulit Caſtitati & Paupertati, Obedientiam, vt hanc propter illas lædi non voluerit aut recuſari. Quia tamen Regula non man-

dat

dat Fratribus obedientiam, nisi *in ijs omnibus quæ promiserunt Domino obseruare & non sunt contraria animæ & regulæ nostræ*. Ex quo proinde constat promissam Obedientiam se non ostendere ad ea quæ manifestè castitati, vel paupertati in Regula præscriptę contrariantur; neque Pontificem à fratribus, contra quos extrauagantem illam edidit, talem obedientiam exegisse; sed tantum vt in dubijs, ac disputationi expositis, Superiorum suorum determinationi starent, eorumque ordinationibus subijcerētur. Hinc aliquis adhuc Patribus Capucinis prætextus remansit recusandi vnionem & obedientiam, per quam dicebant se timere quod ad ea quę contra regulam manifestè militabant adigerentur: idque ex eo, quod regula (pręsertim in ijs quæ paupertatem concernebant) ita collapsa esset in Ordine, vt iam abusus pro regula haberentur, & ad eos quasi contrario fluminis impetu subditi, alioquin boni, raperentur: hoc enim vbique in Annalibus Bouerianis indicatur.

Restat itaque videndum quænam in Ordine Obseruantium, eo tempore, quo Capucinorum institutum emersit, tam manifestè prætendantur fuisse Regulę transgressiones, à superioribus non tantum toleratæ; sed quas etiam fouerent, & sua authoritate enutrirent, & communirent; prout Ludouicus Forosempronianus Cardinali Protectori scribebat, & vbique inculcat Bouerius; ac signanter in schedula quæstione præcedenti examinata.

Et quidam quo ad votum Obedientiæ & Castitatis nulla mouetur ab ipsis difficultas; sed in materia paupertatis tota versatur eorum querela: quam vtinam sic zelarent vt instructionis à Christo Domino fri: Ioanni de Metijmna traditæ ad annum 1544. num. 16. non obliuiscerentur. Ea sic habet. [Attendant fratres quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini, & sanctam eius operationem. Quo fit vt ex fratribus nonnulli facilè in lappidem impingant, qui cùm non meum (nota Christum loqui) qui humilitatis & charitatis est; sed suum spiritum sequantur, dum ardentiores altissimæ paupertatis zelatores videri volunt, eamque sibi humano spiritu quasi idolum confingunt, simul & veram humilitatem iugulant, & charitatem prosternunt, nec tamen veram spiritus paupertatem assequuntur. Hinc plerique dum

indiscreti paupertatis æmulatores existunt, superbi & contentiosi euadunt, seipsos atque alios turbant, inquietos vbique se produnt, cuncta altercationibus complent &c.]
Quos proinde monet *omnibus viribus adniti, vt diuinum spiritum, qui bonus, suauis, & benignus est, assequantur*. Cui lectioni si, pro vt eam scripsit, ita etiam studuisset Bouerius non existimo quod tot amaritudines sine vllo fructu, ne cum scandalo dicam, contra Ordinem Obseruantium ob læsam, vel, vt ipse loquitur totaliter collapsam paupertatem, scripsisset.

Videamus interim quænam Obseruantium Ordini in particulari obiecta fuerint. Ea non videntur aliunde melius colligi, quam ex disputatione coram Duce Nucerini incompetente & præuento Iudice inita inter quendam Commissarium Generalem Ministri Generalis Obseruantium, & Ludouicum ac Bernardinum Rheginos, quæ refertur ad annum 1532. num.25. & seqq. in qua varia violatæ in Ordine paupertatis puncta obijciuntur.

Inter quę primum est annua tritici, vini, cęterarumque rerum prouisio, vbique fere in Ordine recepta; quæ altissimam Minorum paupertatem conuellere, & ex diametro cum Regula pugnare asseritur ibidem.

Secundum, legatorum annorum ac perpetuorum copia, quibus velut ex peculio viuebatur: quæ cum parum à fundis & agris distent, rerum proprietatem inuehunt.

Tertium, quotidianus ac publicus pecuniarum quæstus & receptio, quæ passim in Ordine diffundebatur, & proculdubio in Regula prohibetur illis verbis cap.4. *præcipio firmiter Fratribus vniuersis vt nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam*.

Quartum promiscuus ad pecuniam recursus, eius depositio, & expensio; quæ cum nulla presente vel imminente necessitate fiant, altissimæ paupertatis votum pessumdant.

Quintum, molliores & pretiosiores habitus, cum regula præcipiat cap.2. vt *Fratres omnes vestimentis vilibus induantur*.

Sextum quod Fratres passim equitarent, calceamentis vterentur, quod ipsis per Regulam non licebat, nisi vera & manifesta necessitate compellerentur.

Septimum, sumptuositas ædificiorum, pompositas ornatus templi, & similes superfluitates quæ sæpissimę diuersis in locis apud Bouerium obijciuntur.

Super hæc puncta aliquæ iuris, aliæ facti quæstiones resultant, in particulari suo loco resoluendæ. Nunc in Generali dico, neminem in Obseruantium Ordine vmquam dubitasse, vel, vt arbitror, dubitare potuisse, maximè post tot expressas diuersorum Pontificum declarationes, quin sit illicitum & contra regulam legata annua ac perpetua non solum in magna copia, quibus velut ex peculio viueretur, sed etiam in quantumuis parua quantitate recipere Fratribus Minoribus regulam sancti Francisci simpliciter & purè profitentibus: vnde non opus erat paruam eorum distantiam à fundis & agris exaggerare.

Clari etiam iuris est & extra quæstionem, pecuniæ receptionem per se, vel per interpositam personam, omnemque eius tractationem ciuilem, recursum ad illam sine vera necessitate præsente vel imminente, ijsdem fratribus Minoribus esse interdictam.

Nemo potest dubitare illicitas esse pretiosas vestes ijs, quibus expressus Regulæ textus præcipit, *vt vestimentis vilibus induantur*. Constat etiam fratribus Minoribus *non licere equitare nisi manifesta necessitate cogantur; qua cogente*, & non alias, *possunt portare calciamenta*.

Sumptuosa & excessiua ędificia statui humilium & pauperum Fratrum sancti Francisci certum est minus conuenire; quos pater eorum in suo testamento monuit: *Caueant sibi fratres vt Ecclesias, habitacula, & omnia alia quæ pro ipsis construuntur penitus non recipiant, nisi essent, sicut decet sanctam paupertatem*. Et Pontifex in Clementina: *Exiui* dixit: *volumus quod vbique in suo Ordine deinceps temperatis & humilibus ædificijs sint contenti: ne huic tantæ paupertati promissæ, quod patet oculis contrarium foris clamet*.

Hęc omnia tanquam noti & indubitati iuris admittunt, profitentur, & seruare conantur omnes veri Obseruantes, illosque qui eis contraueniunt, tanquam suæ Regulæ transgressores, & status sui immemores detestantur.

Porro quęstiones facti nimis liberè & vniuersaliter videntur apud Bouerium resoluisse, qui totum ordinem Obseruantium

tiam tam in capitibus, quam in membris, proclamauerunt omnium & singulorum transgressorem. Similes olim querelas apud Clementem Quintum à similibus Iudicibus, vel accusatoribus delatas fuisse colligitur ex Clementina *exiui*. Vnde ad similem querelam seruire poterit similis responsio & satisfactio, quam Pontifex refert: *tamen communitas fratrum*, inquiens, *& specialiter Rectores ipsius Ordinis asserebant, quod prædicta, seu plura ex ipsis non fiebant. Quod & si qui inueniuntur rei in talibus, rigidè puniuntur; necnon contra talia, ne fiant, sunt facta pluries ab antiquo statuta in Ordine multum stricta*. Hoc Superiorum, & Ordinis responsum acceptatum fuisse patet apud Reuerendum Patrem Lucam Vvaddingum ad annum Christi 1312. num. 3. vbi refert à Patribus Concilij Viennensis decretum fuisse; modum viuendi communitatis Ordinis, à quibusdam fratribus, qui spirituales vocabantur, vehementer & in multis accusatum, esse licitum & sufficientem ad veram Regulæ sancti Francisci Obseruantiam. Qua occasione edita fuit præfata Clementina; & coacti sunt fratres qui prætextu strictioris Obseruantiæ ab Ordine sese parauerant, ad eius vnitatem & obedientiam redire vt habet ibidem Vvaddingus num. 5.

QVAESTIO

Decima Septima,

An quoad abusus Ordini obiectos conuictus fuerit coram Duce Nucerini Commissarius Generalis Obseruantium?



OCCASIONE quæstionum apud Clementem Quintum agitatarum bene notat ad nostrum propositum Reuerendus Pater Lucas Vvaddingus ad annum 1314. num. 8. homines sæculares, dum extra suum forum euagantes Religiosorum rebus sese temerè immiscent, facile decipi & errare fauendo iniustæ causæ: scribit enim ibi: [Vacante longo tempore Sede Apostolica

& pręfectura Ordinis Minorum, Fratres illi qui sub nomine arctioris Obseruantiæ agebant contra corpus Religionis, & quos paulo antea Clemens Pontifex, ad gremium & vnionem eiusdem reduxit, nacti occasionem hanc, qua sibi securius quidquam licere indicarunt, sub specie declinandæ persecutionis impatienter & temerè ab Ordine se diuiserunt. Centum enim & viginti in Prouincia Prouinciç, & Custodia Narbonensi inter se colligati, consilium inierunt de excutienda Prælatorum Obedientia, & constituendis sibi peculiaribus domicilijs. Vt vero haberent vbi forte legendum, separatim statim viuere, & peculiares sibi effingere constitutiones liceret, auxilio quorumdam amicorum suorum sęcularium (quibus semper vitæ asperitas, & Obseruantiæ regularis intentior conatus arridet) armorum strepitu eiecerunt ex cęnobijs Narbonensi & Biterrensi locorum præfectos & reliquos Consodales.] Sic sępe mundus asperitatibus & externa specie sanctitatis decipitur, & vult decipi. Idem fortè aliqualiter in Duce Nucerini, præcipuo Capucinorum fautore & Protectore vsu venit; qui præoccupatus affectu præcipitauit sententiam in hac causa vt postea videbimus. Alioquin tempore Clementis V. in Ordine defectuosos fuisse constat ex ipsamet Superiorum confessione. Neque etiam tales defuisse in Ordine Obseruantium licet recenter coadunato & stabilito supponere debemus, siquidem inter triginta millia Obseruantum indubiè est multos fuisse, qui ante Conuentualium libertatibus & moribus assueti, retrogrado passu cancrorum instar ad pristinas relaxationes conati sunt reuerti. Ad pecuniarum receptiones, reditus annuos, equitationes promiscuas sine vlla necessitate, vel calciamentorum vsum, à Superioribus fuisse promissa, & talia eorum auctoritate stabilita fuisse, omnino negamus. Nam incredibile est tot pręclaros & zelosos viros, qui à paucissimis annis generosissimè pro Obseruantia dimicauerant, ea tam victoriosè & pacificè obtenta, statim aut omnes obijsse aut à zelo defecisse, imo proiecisse prętiosissimam gemmam pro qua acquirenda ducentis annis laboratum erat: vt etiam contra altissimam paupertatem redditus, fundi, pecuniæ tractationes & similia manifestè Regulari Obseruantiæ repugnantia in Ordine admitterentur. Quis illos credat nuperrimè declaratos à Pontifice indubitatos Fratres Ordinis sancti Francisci,

&

& eius Regulæ Obseruatores, sexennij vel septennij spatio, ita sui status, animę & Dei oblitos fuisse, vt tam enormiter Regulam transgrederentur.

Contrarium patet non solum ex antedictis; sed etiam ex eo quod Bouerius ex sola Italia ducentos fere Obseruantes enumerat qui ab Obseruantia ad Capucinos transierunt, quorum plerique antea Guardiani, Prouinciales, Curię Commissarij fuerant. Dicunturque ex tunc viri zelosi & sancti fuisse. Ex quo manifestum est Ordinem Obseruantium non potuisse tam enormiter deficere, cui viri zelosiores & sanctiores in Superiores præficiebantur: quandiu enim in aliqua communitate tales ad regimen assumuntur signum est virtutem ibi esse in honore. At quando eò venitur vt prædominentur imprudentes, virtutum & Regulæ contemptores, vel saltem tepidi in bono: tunc meritò Religionis ruina timetur,

Porro prouisiones annuas tritici, vini, cæterarumque rerum, recursum ad pecuniam, domorum sumptuositatem, equitationem, calceamentorum deportationem, Regula absolutè non prohibet, imò aliqua in casibus aliquibus ac circumstantijs expresse concedit; prout & Pontifices declarárunt, decernentes quando, & vbi fieri possint, vel tolerari; vel iudicio & conscientijs Superiorum id determinandum relinquentes. Vnde viderint qui in his tam acriter Ordinem culpant, ne iudicium alijs commissum temerè sibi arrogauerint; dum omnia indebitè & illicitè facta iudicant, quę viri prudentes & conscientiosi, quos & ipsi tales supponere debuissent, iudicabant licere ex circumstantijs & causis, quarum examen ipsis committebatur.

Valde igitur ridiculè videtur mihi quasi pro iustificatione causæ suę præcipitem sententiam Ducis Nucerini attulisse Bouerius ad annum 1532. num.37. vbi relatis frigidissimè Commissarij Generalis excusationibus super omnia puncta sibi obiecta, quasi ea vera confessus esset, aut saltem tacendo consensisset. *Verum*, inquit Bouerius, *cum hæ excusationes causa Duci minus graues ac legitimæ viderentur, is Commissarium e regione interrogat: num essent facienda mala vt eueniant bona? quod cum ab Apostolo cunctis interdictum sit, id illis maxime vetitum censeri debet, qui sacro Iureiurando se ad Regulæ Obseruantiam adstrinxere.* Facit hunc Ducem magnum hic Theo-

lo-

logum Bouerius; qui Apostolum citat malè ad propositum. Non enim disputabatur, an mala essent facienda, sed an ista fierent & ansi in istis circumstantijs fierent mala essent: sæpe enim, præsertim humana lege prohibita, si fiant in certis circumstantijs à malitia excusantur.

Porro si excusationes Commissarij perfunctoriè à Bouerio relatæ expendantur vt oportet, & explicentur, non puto quod intelligentes ea quæ Religionis & Regulæ Franciscanæ sunt, adeo paruæ considerationis eas esse iudicabunt, quin in istis circumstantijs ea fieri potuerint, quę Regula certis ex caussis fieri permittit.

Nemini enim potest esse dubium quin multitudo Fratrum in aliquo Conuentu (inter quos nati sunt esse plures debiles, infirmi plurium indigentes) iusta sit causa maioris prouisionis opportuno tempore faciendæ, quando tam multiplicibus multorum necessitatibus non potest congruè per quotidianos ad benefactores recursus satisfieri. Quod ipsum prudentiores aliqui & pij Superiores Capucinorum in maioribus suis Conuentibus (licet ad Obseruantium Conuentuum magnitudinem vix adhuc à longè accedant) sese experiri mihi fassi sunt.

Quis non videat in pauperioribus locis, temporibus malis, quando quilibet sufficiens onus est sibi ipsi: præsertim si deuotio hominum flaccescat, non posse ita omnia pro multis necessaria in specie mendicari, quin aliquando, & sępius necesse sit ad amicos spirituales recurrere? aliud est in locis in quibus pauci sunt Religiosi, pro vt fuęrunt in initio Obseruantes, & adhuc in plerisque sunt Patres Capucini, quibus modica eleemosyna sufficit ad abundantiam.

E contra verò homines absterrentur dare pro magnis communitatibus: quia magna dare non possunt aut non volunt: Vnde paruas eleemosynas pecuniarias apud amicos deponũt, vt sic per plura parua maiori communitati subueniatur. De qua re quæstione 21. Neque puto omnino tacitè prætereundum quod sæpe refricatur tanquam inuidiosè & friuole obiectum Capucinis à Patribus Obseruantibus, quasi Capucini suo rigore & externa sanctitatis specie homines à deuotione ad Ordinem Obseruantium & eleemosynis faciendis auocarent. Hoc enim, si trutinetur, & explicetur, vt portet, sua-

ve-


veritate non caret. Videmus namque quotidie adeo multiplicari mendicates & mendicationes etiam Religiosorum; vt Margarita illa Euangelica (paupertatem intelligo) tantopere prius æstimata in vilitatem, tandem degeneret fiatque contemptibilis & onerosa. Omitto hic adhuc illos, qui humili illa mendicatione posthabita, quæ secundum Regulam nostram ostiatim facienda est; quasi honestiori, sed vrgentiori modo eleemosiynas petunt. Patres vel Matres familias vocant, præmissis ciuilitatis præambulis, necessitatem & pauperiem explicant, petant opportunè importunè, certam etiam subinde quantitatem determinando, quam honestæ conditionis homines, honestis viris negare erubescunt. Quod si accedat tunc exterior pauper habitus: exaggeretur præ cæteris omnibus Religiosis eorum paupertas & præsertim præ alijs eiusdem Regulæ professoribus, quos subiudicant ad minus; si non apertè dicant, medijs suo statui & Regulæ minus conuenientibus vitæ necessaria comparare posse & solere, pœnitentias suas, & suorum extollant: an similia verè non imminuunt hominum plerorumque qui minus prudenter singula considerant, deuotionem & liberalitatem erga alios? an tales circumstantiæ non videntur ansam prebere licitam vtendi medijs simpliciter licitis, quamuis ab aliquibus minus perfectæ æstimentur, vt onera, & scandala sæcularium æuitentur, & decor paupertatis Euangelicæ conseruetur.



QVAE-

QVAESTIO Decima Octaua:

Qua media vitæ necessaria conquirendi filijs suis Beatus Pater noster Franciscus præscripserit vel permiserit.



VANGELICAE atque altissimæ paupertatis zelator pręcipuus Beatus Franciscus, voluit quidem Fratres suos, non solum ab omni possessione & proprietate tam in communi, quam in particulari, & specialiter ab omni vsu pecunię, esse alienos; verum etiam ab omni sollicitudine, siue nimia cura rerum temporalium vacuos iactare cogitatum suum in Dominum; non tamen ita vt miraculosè à Deo, vel extraordinaria via prouidentię vitę necessaria expectarent; sed prouidit tam in Regula quam testamento de tribus medijs & modis, quibus licitè & meritoriè victum, vestitum & alia vitę necessaria compararent.

Primus & perfectissimus est quem habet cap.5. Regulę: *Fratres illi quibus Dominus dedit gratiam laborandi, laborent fideliter & deuotè, ita quod excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis & deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deseruire. De mercede vero laboris pro se & suis Fratribus corporis necessaria recipiant; præter denarios vel pecuniam; & hoc humiliter sicut decet seruos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores.*

Secundus habetur cap.6. eiusdem Regulæ: *Vadat pro eleemosyna confidenter*: qui in testamento substituitur tanquam prioris supplementum, in illius defectum adhibendus. *Et ego*, inquit beatus Pater Noster, *manibus meis laboraui & volo laborare, & omnes fratres mei volo quod laborent, de laboritio quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt discant: non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris: sed propter exemplum & ad expellendam otiositatem.* Deinde subnectit eleemosynæ petitionem. *& quando non daretur nobis pretium laboris,*

laboris, recurrebamus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim. Videlicet petendo in specie res quibus indigemus; prout communiter Regulæ expositores intelligunt: quia pecuniam, sicut recipere, ita & petere prohibemur.

Quia vero sanctus Patriarcha, qui Spiritu sancto dictante Regulam eodem illustrante videbat, his duobus medijs non posse ad plenum fratribus in omni necessitate occurrente subueniri: addidit & tertium cap. 4. vbi receptionem pecuniæ strictissimè inhibuit per se vel per interpositam personã; videlicet *vt pro necessitatibus infirmorum & alijs fratribus induendis per amicos spirituales Ministri tantum, & custodes sollicitam curam gerant, secundum loca & tempora & frigidas regiones, prout necessitati viderint expedire: eo semper saluo, vt sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant*.

Labor manuum, non in Regula, sed in testamento nominatur: nam in Regula solum dicitur: *laborent fideliter & deuotè de laboritio quod pertinet ad honestatem*, vnde Nicolaus III. declarauit vacantes studijs, prædicationibus, Diuinis officijs, ac similibus ministerijs impeditos (cum quibus pene est incompatibilis) non esse labori manuum adstringendos; imo ne laicos quidem cõtemplationi vel orationi notabiliter addictos. Clemens autem Quintus, inter præcepta Regulę nullam laboris manuum facit mentionem.

Itaque laboritium quod pertinet ad honestatem quod sanctissimus Pater proponit filijs suis tanquam primum medium ad comparanda victui & vitæ necessaria est quoduis honestum exercitium, siue corporale, siue spirituale; vt sunt celebratio & cantatio Missarum, administratio Sacramentorum, prędicatio, sepultura defunctorum, & labores manuales: pro quibus omnibus licet congruam sustentationem recipere: Ita enim Christus docuit Discipulos suos ad Euangelizandum missos; *in eadem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt Lucæ 10. vers. 7.* (qui vos scilicet receperint) *dignus est enim operarius mercede sua*. Et Apostolus: *Si nos vobis spiritualia seminamus: magnum est si carnalia vestra metamus? 1. Cor. 9. vers. 11.* & post pauca. *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur quæ de sacrario sunt edunt? & qui altari deseruiunt cum altari participant? Ita & Deus ordinauit ijs qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuere.*

Quia igitur manuum labor licet sanctus & commendabilis sit : sua tamen secum fert inconuenientia ; vt quod sęcularibus, cum eorum sępe offendiculo, suo subtraherentur lucra, fratribus frequentior cum sæcularibus tractandi occasio daretur, cum spirituali dispendio, & insuper quia plerique in seruitijs confratrum suorum occupantur, pauci sunt qui isto medio corporis necessaria comparare possunt. Hinc Ordo quasi ab initio, secundum diuinam vocationem spiritualibus hominum seruitijs vacauit ; ac pro talibus necessaria corporis, vel oblata recepit, vel humiliter mendicauit.

Quia vero plerumque non sciunt homines (vel non habent ad manum ea, quibus fratres indigent : solent ad amicos spirituales fratrum, quos nouerunt, & quos sciunt indigentias fratrum nosse, pecunias deferre pro quibus ea comparentur quibus solent fratres pro quotidianis necessitatibus indigere. Et illis tunc fratres suas necessitates exponunt. An hic debeat vocari recursus ad pecuniam, non lubet hic disputare : putarem ego, si prouidè fieret, à mendicatione in specie, seu receptione necessariorum corporis pro mercede laboris parùm aut nihil in æstimatione morali differre. Nam sicut ab auferente mercedem pro laboritio possum humiliter petere panem aut cereuisiam, quam scio ipsum (vt pote nec pistorem nec braxatorem) interuentu pecuniæ comparaturum ; absque eo quod ego censear ad pecuniam recurrere : ita videor idem posse facere apud eum, cui ille commisit mercedem laboris mihi largiri.

Hunc nihilominus modum vitæ necessaria conquirendi, tanquam minus purum, postponunt quidam humili mendicationi qua nunc ad hunc, nunc ad illum benefactorem pro portione vel eleemosyna mittitur frater vel pater aliquis, qui dum cæteri domi diuinis officijs, recollectioni, alijs spiritualibus exercitijs intendunt, pro temporalibus curam gerat. Idque ad euitandos plurium discursus pro prædicatione, celebratione missarum, & postmodum pro mendicatione intuitu præcedentium laborum, facienda. Res sane : vt prima fronte apparet, valde rationabilis & fundata : sæpe enim audiui viros prudentes & primarios, atque etiam Ecclesiæ Prælatos asserentes. Ordinem Fratrum Minorum fore aureum, si discursus illos ad terminos, siue ad pagos quibus inseruiunt

Fra-

Fratres, non haberet: verè enim etiam Sancti & spirituales experiuntur quoties egrediuntur ad homines, minores homines se redire, & *de mundano puluerè etiam religiosa corda sordescere*; vt D. Leo loquitur.

Propter hoc fuit quondam dubitatio Sanctissimi Patris nostri Francisci quæ habetur apud sanctum Bonauenturam cap. 12. vitæ eius, *an orationi vacaret, an prædicando discurreret?* quę diuinitus per Fratrem Syluestrum & sanctam Virginem Claram sublata fuit, dum requisiti ad resolutionem à Deo in oratione petendam vno ore responderunt: *beneplaciti diuini esse, quod Christi Præco ad prædicandum exiret*. Illudque responsum non pro sua persona tantum, sed pro toto suo Ordine datum esse Beatus Vir intellexit; vnde ab eius exordio semper practicatum fuit. Neque vlli mirum videri debet si isto medio ad animarum salutem principaliter instituto etiam pro corporis necessarijs acquirendis exemplo Patris sui Francisci Fratres Minores vtantur: cum & hoc mundus videtur ab eis exigere.

Contigit siquidem non ita pridem in Prouincia quadam vt quidam Patres Zelo spiritualioris vitæ resoluerint distractionum & aliorum inconuenientium occasiones euitare, relictisque stationibus illis, & ordinarijs mendicationibus, tentauerint religiosiori (vt putabant) via sibi vitæ necessaria conquirere. Sed cum ad domum cuiusdam Magnatis Ordini affecti venissent, & inter cætera propositum hoc explicassent, humiliter petentes pro ista vice portionem, responsum est; quod concionibus & bonis exemplis spiritualia ipsis seruitia præstarent, ad animarum salutem, prout soliti erant facere eorum prædecessores: non defuturos se tunc in eleemosynis & subsidio corporali. Nec irrationabile hoc videri potest: cum Ordo non sit institutus ad meram vitam contemplatiuam, sed ad mixtam; vt Beato P. Nostro Francisco reuelatum esse iam diximus. Meritò proinde homines exigunt ex parte nostra pręstari ea quæ secundum statum possumus & debemus; vt ipsi de temporalibus suis nos faciant participes.

QVAESTIO Decima Nona.

An RR. PP. Capucini rectè Obseruantibus, redditus annuos vel legata perpetua obiecerint?



EMINI quod sępius iam dixerim esse omnino incredibile Ordinem Obseruantium, tam paruo tempore, quod ab vnione vsque ad exordium Capucinorum effluxit, in tantum degenerasse, vt redditus annuos propriè dictos, vel legata perpetua admitteret, contra essentiam Obseruantię Regularis: si enim hoc fecissent Obseruantes, proculdubio contra eos acrius insurrexissent RR. PP. Conuentuales, prętendissentque maiori iure se non debere illis cedere quo ad primatum Ordinis & alias pręrogatiuas, qui non minus quam ipsi Conuentuales à Regulę puritate & Obseruantia deflexissent. Quandoquidem Professores altissimę paupertatis, & Ordo incapax omnis omnino proprietatis non magis possint redditus & legata perpetua, quam fundos & prędia possidere. Cum autem vel ex ipso Bouerio constet ad annum 1562. num. 1. Generalem Obseruantium in Concilio Trident. suo & sui Ordinis nomine *omnibus bonis immobilibus renuntiasse* (inter quę computantur redditus annui) quamuis addat, pro suorum commendatione, id eum fecisse protestatione Generalis Capucinorum permotum; in cuius protestatione etiam addiderat bona mobilia: constat sanè Ordinem Obseruantium nec tunc nec antea voluisse aliquam proprietatem rerum immobilium vel mobilium, adeoque nec redditus propriè dictos admittere. Pręsertim cum super protestationibus istis emanauerit decretum Concilij Tridentini sess. 25. c. 3. de Regularibus, quo à concessione omnibus Monasterijs & domibus tam virorum quam mulierum & mendicantium facta, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat, excipiuntur domus Fratrum sancti Francisci Capucinorum & eorum qui de Obseruantia vocantur.

Ex

Ex quo fabulosum esse conuincitur quod antea narrauerat idem Bouerius ad annum 1545. (quo vixerat inchoatum Concilium Tridentinum) num. 30. altercatos fuisse in eo Concilio de primatu Ordinis & sigillo, Conuentualium & Obseruantium Generales. Hoc vi concessionis Leonis Decimi prætendente, isto iure antiquitatis, & tandem ad propositionem Generalis Conuentualium, dicentis nec suos, nec Obseruantes Regulam obseruare; sed solos Capucinos: inclinatos fuisse Patres Concilij ad sigillum Ordinis Capucinis adiudicandum, idque apparenter facturos fuisse, nisi R. P. Bernardinus Astensis, qui ex commissione Generalis Capucinorum aderat concilio, præ humilitate recusasset. Hoc inquam, præterquam quod nec ex actis concilij, nec ex vllo indifferente authore constet, vel inde falsitatis conuincitur quod tam clarè sæpius ostensum fuerit tunc in Ordine Obseruantium pluribus saltem in locis Regularem Obseruantiam floruisse; & quod Generalis illius omni possessioni renuntiauerit, tanquam Regulæ nostrę contrarię, neque vllum post Ordinis vnionem priuilegiorum esse reperiatur, minus acceptatum quod altissimæ paupertati prçiudicaret. Quomodo ergo poterat Generalis Conuentualium suos in hoc Obseruantibus comparare? Et qua ratione tam leuiter Concilij Patres ad vnius viri dictum, qui pars erat, poterant inclinari, vt Ordinem Obseruantium iure à Leone Decimo concesso, & tam diuturna possessione firmato, priuarent? Quod confirmatur quia Bouerio referente diuersis adhuc vicibus postea egerunt Obseruantes apud Pontifices vt Capucinos sibi subijcerent, & in illo ipso Concilio Generalis Obseruantium Minores Conuentuales sibi subijcere tentauit, vt ad eundem annum 1562. num. 20. habetur apud Bouerium. Quod sanè attentatum fuisset valde temerarium & periculosum, quando scirent Concilij Patres esse inclinatos ad sigillum & primatū ijs auferendum, ibidemque refertur eundem Generalem conatum fuisse Capucinos ad vnionem reducere quorum Generalis Thomas nominatus restitisset eandem prçclara ratione, quam antea Ludouicus Forosempronianus allegauerat, videlicet quod secundum Bullam Leonis Decimi non esset electus ex reformatis, adeoque irrationabiliter se supremum Ordinis Generalissimum iactaret. Qui insigni obiectione Generalis

renun-

tiam illius qui debet dare eleemosynam, vt in altero non correspondeat ius illam exigendi; & obligationem stricti iuris, cui tale ius siue potestas, in eo cui obligatur correspondet, sic vt is qui non daret, vel dare volentem impediret, pro læso iure obligaretur, & cogi posset ad restitutionem: neque satis distinguunt inter *obligari Fratri Minori* (quod non constat cum Regula) & *obligari ad dandam eleemosynam Fratri Minori*, quod non tantum non arguit ius in fratre Minore, sed potius illud excludit: cum illud quod datur tanquam ex iustitia debitum non sit propriè dicta eleemosyna. Propter hanc, inquam, hominum ignorantiam, sæpius abstinendum est à talibus legatis recipiendis, ratione scandali; præsertim quādo ex alijs eleemosynis haberi possunt necessaria: vel saltem iuxta statuta nostra facienda esset protestatio, non tantum ijs qui obligantur; sed etiam alijs qui illa sciunt & audiunt, quod nullum ius habeamus, vel habere velimus ad talia legata; sed illa per modum puræ eleemosynæ recipiamus.

Cauendum etiam ne in petendo excedatur, vrgendo obligationem; vel alijs terminis vtendo, qui pauperibus eleemosynam petentibus non congruunt: sicut etiam sanctissimus Pater Noster monuit quo ad receptionē mercedis laboris; vt hæc fiat humiliter sicut decet seruos Dei & paupertatis sanctissimæ sectatores, ne videlicet videamur ad huiusmodi mercedem ius aliquod prætendere.

Magis cauendum est pro talibus legatis iure agere: licet enim Nicolaus Tertius Pontifex in capite *exijt qui seminat* voluerit Prelatos Ecclesiæ & Magistratus sæculares pro officio suo promptos se exhibere vt curent, *pias decedentium voluntates impleri: & vt hæredum cupiditas legitimis ictibus feriatur*. Id tamen nomine fratrum, vel ad eorum instantiam fieri nullo modo congruit eorum statui & paupertati: vnde & per statuta Ordinis semper prohibitum fuit & prohibetur.


Simili modo licitum est (sed etiam cum prudentia & cautela practicandum) de licentia & voluntate Dominorum, ex certis syluis ligna cedere & colligere; prætermissis ijs qui importuna & molesta mendicatione vrgeri deberent. Prout illustris & piæ memoriæ Iacobus Comes Hornanus, Fundator cōuentus Obseruantium prope Vvertæam, in quo postmodum Regulam professus est in flore Obseruantiæ, obligauit hæredes

suos

ſuos vt permitterent fratres eiuſdem conuentus fodere ac extrahere ceſpites ex certa parte myricę vel terrę paluſtris; quod etiam vſque in hodiernum diem fit, ſed prę miſſa humili petitione. Quod vero ſubinde ex talibus eueniat vt homines plebei rem non introſpicientes vocent tales ſiluas vel fundos fratrum Minorum per accidens eſt, eiſque eſt ignoſcendum, & tanquam rudiores de veritate pro poſſe inſtrui debent. Sed hoc mirum eſt quod viri Religioſi eiuſdem Regulæ profeſſores, qui proinde eam intelligere ſupponuntur, provt deberent; rem per regulam licitam, & circumſtantijs debitis honeſtatem tamquam Regulę tranſgreſſionem & ſanctę paupertatis naufragium traducant.

QVAESTIO Vigeſima.

An prouiſiones annuas rectè RR. PP. Capucini Obſeruantibus improperauerint.



PROVISIONES annuas granorum, carnium, candelarum, cereuiſiæ, vel vini (vbi illud eſt potus ordinarius) tanquam minus conformes Regulæ nimium videntur aliqui damnare: nam Nicolaus Tertius in capite *exijt* inter cœtera dicit, quod *Fratres Minores ſic ſeipſos Diuinæ prouidentiæ committunt, vt viam non contemnant prouiſionis humanæ*. Et licet vbi per quotidianas mendicationes congruè haberi poſſent Fratribus neceſſaria, minus conueniat viris Euangelicis in menſes & annos prouiſiones facere: ſic tamen ſe velle Diuinę prouidentię committere, vt quaſi miraculosè ſæpe neceſſaria obtineri deberent, eſt non meo ſolum iudicio; ſed etiam ſancti Bonauenturæ (queſtione ſeptima ſuper Regulam: vbi de huiuſmodi prouiſione ſuo tempore facienda agit) Deum tentare, et non Spiritum iſtius ſententię Euangelicę: *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum* ſed corticem litterę, ſeu litteram Iudaicam velle ſeruare.

[Si diligenter, *inquit*, Euangelij verba penſamus, ſolli-

citudinem de craſtino, ſed non prouiſionem prohibere videtur. Vnde ſancti Apoſtoli Euangelij Chriſti perfectiſsimi Obſeruatores, tam pro ſe, quam pro alijs Chriſti pauperibus, qui omnia pro Chriſto reliquerunt, à fidelibus ſubſidium pro corporum neceſsitate, etiam in futurum petebant & recipiebant. Sicut Paulus rogatus à Petro, Ioanne; & Iacobo, collectas fieri per Eccleſias pro Chriſti pauperibus ſuſtentandis mandauit, *Gal.6. 2.Corinth.*8.& alijs locis pluribus reperitur id feciſſe, qui etiam pro acquirendis neceſſarijs ſibi & ſocijs ſuis laborauit manibus.

Sollicitudo enim notat curæ anxietatem, illicitam conquæſtionem, auaram ſuperfluorum prouiſionem, ſicut enim in operatione ſalutis noſtrę principaliter ſpem in Deum iactare debemus, ita & in corporali ſubſidio, ſollicitudinem debemus ei commmittere, & tamen vbi congruè poſſumus, ſine iactura ſpiritualis profectus, noſtri & aliorum nobis neceſſaria prouidere: ne aliter quaſi Deum tentare videamur, vt miraculosè, (ſicut olim filijs Iſrael) nobis quotidie alimoniam ſubminiſtret. Licet enim priorum fratrum puritas pro maioris perfectionis ardore, pauciora quam nunc conſueuerint ad victum colligere neceſſaria, & populus propter hoc talem opinionem conceperit, quod nil nobis licet ſeruare in craſtinnm, tamen nec tunc, nec nunc aliquo modo nobis prohibitum eſt ſtatuto, quin poſsimus ad victum aliqua etiam neceſſaria in futurum, pro aliquo tempore prouidere, maximè de ijs quę in promptu, dum indigemus, non poſſumus acquirere mendicando. Sunt enim quę niſi colligamus certo tempore, quando eſt copia, quando inter manus communiter habentur à populo, poſtmodum nec pro infirmis, nec pro hoſpitibus, nec pro alijs, ſine magna difficultate, vel magno pretio poterunt haberi. Mendici enim maximè illo tempore ſolent neceſſaria petere; quo ſciunt ea promptius à dantibus inter manus haberi, vt circa horam comedendi. Sic & Dominus populo certo tempore præcepit Mannæ alimoniam colligere, quam non omni tempore in agro, etiamſi quęrerent, inuenirent. *Exod.* 16. *& Pſalm.* 144. tu das eſcam illis in tempore opportuno. In hoc enim non tam nobis, quam illis à quibus petimus, prouidemus, quando tali tempore petimus, quo ipſi

S faci-

QVAESTIO Decima Octaua:

Qua media vitæ necessaria conquirendi filijs suis Beatus Pater noster Franciscus præscripserit vel permiserit.

EVANGELICAE atque altissimæ paupertatis zelator pręcipuus Beatus Franciscus, voluit quidem Fratres suos, non solum ab omni possessione & proprietate tam in communi, quam in particulari, & specialiter ab omni vsu pecunię, esse alienos; verum etiam ab omni sollicitudine, siue nimia cura rerum temporalium vacuos iactare cogitatum suum in Dominum; non tamen ita vt miraculosè à Deo, vel extraordinaria via prouidentię vitę necessaria expectarent; sed prouidit tam in Regula quam testamento de tribus medijs & modis, quibus licitè & meritoriè victum, vestitum & alia vitę necessaria compararent.

Primus & perfectissimus est quem habet cap.5. Regulę: *Fratres illi quibus Dominus dedit gratiam laborandi, laborent fideliter & deuotè, ita quod excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis & deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deseruire. De mercede vero laboris pro se & suis Fratribus corporis necessaria recipiant; præter denarios vel pecuniam, & hoc humiliter sicut decet seruos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores.*

Secundus habetur cap.6. eiusdem Regulæ: *Vadat pro eleemosyna confidenter*: qui in testamento substituitur tanquam prioris supplementum, in illius defectum adhibendus. *Et ego*, inquit beatus Pater Noster, *manibus meis laboraui & volo laborare, & omnes fratres mei volo quod laborent, de laboritio quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt discant: non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris: sed propter exemplum & ad expellendam otiositatem.* Deinde subnectit eleemosynæ petitionem. *& quando non daretur nobis pretium laboris,*

laboris, recurrebamus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim. Videlicet petendo in specie res quibus indigemus; prout communiter Regulæ expositores intelligunt: quia pecuniam, sicut recipere, ita & petere prohibemur.

Quia vero sanctus Patriarcha, qui Spiritu sancto dictante Regulam eodem illustrante videbat, his duobus medijs non posse ad plenum fratribus in omni necessitate occurrente subueniri: addidit & tertium cap. 4. vbi receptionem pecuniæ strictissimè inhibuit per se vel per interpositam personã; videlicet *vt pro necessitatibus infirmorum & alijs fratribus induendis per amicos spirituales Ministri tantum, & custodes sollicitam curam gerant, secundum loca & tempora & frigidas regiones, prout necessitati viderint expedire: eo semper saluo, vt sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.*

Labor manuum, non in Regula, sed in testamento nominatur: nam in Regula solum dicitur: *laborent fideliter & deuotè de laboritio quod pertinet ad honestatem*, vnde Nicolaus III. declarauit vacantes studijs, prædicationibus, Diuinis officijs, ac similibus ministerijs impeditos (cum quibus pene est incompatibilis) non esse labori manuum adstringendos; imo ne laicos quidem cõtemplationi vel orationi notabiliter addictos. Clemens autem Quintus, inter pręcepta Regulę nullam laboris manuum facit mentionem.

Itaque laboritium quod pertinet ad honestatem quod sanctissimus Pater proponit filijs suis tanquam primum medium ad comparanda victui & vitæ necessaria est quoduis honestum exercitium, siue corporale, siue spirituale; vt sunt celebratio & cantatio Missarum, administratio Sacramentorum, prędicatio, sepultura defunctorum, & labores manuales: pro quibus omnibus licet congruam sustentationem recipere: Ita enim Christus docuit Discipulos suos ad Euangelizandum missos; *in eadem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt Lucæ* 10. *vers.* 7. (qui vos scilicet receperint) *dignus est enim operarius mercede sua*. Et Apostolus: *Si nos vobis spiritualia seminamus: magnam est si carnalia vestra metamus?* 1. *Cor.* 9. *vers.* 11. & post pauca. *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur quæ de sacrario sunt edunt? & qui altari deseruiunt cum altari participant? Ita & Deus ordinauit ijs qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuere.*

Fratres, non haberet: verè enim etiam Sancti & spirituales experiuntur quoties egrediuntur ad homines, minores homines se redire, & *de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere*; vt D. Leo loquitur.

Propter hoc fuit quondam dubitatio Sanctissimi Patris nostri Francisci quæ habetur apud sanctum Bonauenturam cap. 12. vitæ eius, *an orationi vacaret, an prædicando discurreret?* quę diuinitus per Fratrem Siluestrum & sanctam Virginem Claram sublata fuit, dum requisiti ad resolutionem à Deo in oratione petendam vno ore responderunt: *beneplaciti diuini esse, quod Christi Præco ad prædicandum exiret*. Illudque responsum non pro sua persona tantum, sed pro toto suo Ordine datum esse Beatus Vir intellexit; vnde ab eius exordio semper practicatum fuit. Neque vlli mirum videri debet si isto medio ad animarum salutem principaliter instituto etiam pro corporis necessarijs acquirendis exemplo Patris sui Francisci Fratres Minores vtantur: cum & hoc mundus videtur ab eis exigere.

Contigit siquidem non ita pridem in Prouincia quadam vt quidam Patres Zelo spiritualioris vitæ resoluerint distractionum & aliorum inconuenientium occasiones euitare, relictisque stationibus illis, & ordinarijs mendicationibus, tentauerint religiosiori (vt putabant) via sibi vitæ necessaria conquirere. Sed cum ad domum cuiusdam Magnatis Ordini affecti venissent, & inter cætera propositum hoc explicassent, humiliter petentes pro ista vice portionem, responsum est; quod concionibus & bonis exemplis spiritualia ipsis seruitia præstarent, ad animarum salutem, prout soliti erant facere eorum prædecessores: non defuturos se tunc in eleemosynis & subsidio corporali. Nec irrationabile hoc videri potest: cum Ordo non sit institutus ad meram vitam contemplatiuam, sed ad mixtam; vt Beato P. Nostro Francisco reuelatum esse iam diximus. Meritò proinde homines exigunt ex parte nostra pręstari ea quæ secundum statum possumus & debemus; vt ipsi de temporalibus suis nos faciant participes.

QVAESTIO Decima Nona.

An RR. PP. Capucini rectè Obseruantibus, redditus annuos vel legata perpetua obiecerint?

EMINI quod sępius iam dixerim esse omnino incredibile Ordinem Obseruantium, tam paruo tempore, quod ab vnione vsque ad exordium Capucinorum effluxit, in tantum degenerasse, vt redditus annuos propriè dictos, vel legata perpetua admitteret, contra essentiam Obseruantię Regularis: si enim hoc fecissent Obseruantes, proculdubio contra eos acrius insurrexissent RR. PP. Conuentuales, prętendissentque maiori iure se non debere illis cedere quo ad primatum Ordinis & alias pręrogatiuas, qui non minus quam ipsi Conuentuales à Regulę puritate & Obseruantia deflexissent. Quandoquidem Professores altissimę paupertatis, & Ordo incapax omnis omnino proprietatis non magis possint redditus & legata perpetua, quam fundos & prędia possidere. Cum autem vel ex ipso Bouerio constet ad annum 1562. num. 1. Generalem Obseruantium in Concilio Trident. suo & sui Ordinis nomine *omnibus bonis immobilibus renuntiasse* (inter quę computantur redditus annui) quamuis addat, pro suorum commendatione, id eum fecisse protestatione Generalis Capucinorum permotum; in cuius protestatione etiam addiderat bona mobilia: constat sanè Ordinem Obseruantium nec tunc nec antea voluisse aliquam proprietatem rerum immobilium vel mobilium, adeoque nec redditus propriè dictos admittere. Prętertim cum super protestationibus istis emanauerit decretum Concilij Tridentini sess. 25. c. 3. de Regularibus, quo à concessione omnibus Monasterijs & domibus tam virorum quam mulierum & mendicantium facta, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat, excipiuntur domus Fratrum sancti Francisci Capucinorum & eorum qui de Obseruantia vocantur.

Ex

Ex quo fabulosum esse conuincitur quod antea narrauerat idem Bouerius ad annum 1545. (quo vixerat inchoatum Concilium Tridentinum) num. 30. altercatos fuisse in eo Concilio de primatu Ordinis & sigillo, Conuentualium & Obseruantium Generales. Hoc vi concessionis Leonis Decimi prætendente, isto iure antiquitatis, & tandem ad propositionem Generalis Conuentualium, dicentis nec suos, nec Obseruantes Regulam obseruare; sed solos Capucinos: inclinatos fuisse Patres Concilij ad sigillum Ordinis Capucinis adiudicandum, idque apparenter facturos fuisse, nisi R. P. Bernardinus Astensis, qui ex commissione Generalis Capucinorum aderat concilio, præ humilitate recusasset. Hoc inquam, præterquam quod nec ex actis concilij, nec ex vllo indifferente authore constet, vel inde falsitatis conuincitur quod tam claré sæpius ostensum fuerit tunc in Ordine Obseruantium pluribus saltem in locis Regularem Obseruantiam floruisse; & quod Generalis illius omni possessioni renuntiauerit, tanquam Regulæ nostræ contrariæ, neque vllum post Ordinis vnionem priuilegiorum esse reperiatur, minus acceptatum quod altissimæ paupertati præiudicaret. Quomodo ergo poterat Generalis Conuentualium suos in hoc Obseruantibus comparare? Et qua ratione tam leuiter Concilij Patres ad vnius viri dictum, qui pars erat, poterant inclinari, vt Ordinem Obseruantium iure à Leone Decimo concesso, & tam diuturna possessione firmato, priuarent? Quod confirmatur quia Bouerio referente diuersis adhuc vicibus postea egerunt Obseruantes apud Pontifices vt Capucinos sibi subijcerent, & in illo ipso Concilio Generalis Obseruantium Minores Conuentuales sibi subijcere tentauit, vt ad eundem annum 1562. num. 20. habetur apud Bouerium. Quod sané attentatum fuisset valde temerarium & periculosum, quando scirent Concilij Patres esse inclinatos ad sigillum & primatũ ijs auferendum, ibidemque refertur eundem Generalem conatum fuisse Capucinos ad vnionem reducere quorum Generalis Thomas nominatus restitisset eandem præclara ratione, quam antea Ludouicus Forosempronianus allegauerat, videlicet quod secundum Bullam Leonis Decimi non esset electus ex reformatis, adeoque irrationabiliter se supremum Ordinis Generalissimum iactaret. Qui insigni obiectione Generali

renun-

tiam illius qui debet dare eleemosynam, vt in altero non correspondeat ius illam exigendi; & obligationem stricti iuris, cui tale ius siue potestas, in eo cui obligatur correspondet, sic vt is qui non daret, vel dare volentem impediret, pro læso iure obligaretur, & cogi posset ad restitutionem: neque satis distinguunt inter *obligari Fratri Minori* (quod non constat cum Regula) & *obligari ad dandam eleemosynam Fratri Minori*; quod non tantum non arguit ius in fratre Minore, sed potius illud excludit: cum illud quod datur tanquam ex iustitia debitum non sit propriè dicta eleemosyna. Propter hanc, inquam, hominum ignorantiam, sæpius abstinendum est à talibus legatis recipiendis, ratione scandali; præsertim quādo ex alijs eleemosynis haberi possunt necessaria: vel saltem iuxta statuta nostra facienda esset protestatio, non tantum ijs qui obligantur; sed etiam alijs qui illa sciunt & audiunt, quod nullum ius habeamus, vel habere velimus ad talia legata; sed illa per modum puræ eleemosynæ recipiamus.

Cauendum etiam ne in petendo excedatur, vrgendo obligationem; vel alijs terminis vtendo, qui pauperibus eleemosynam petentibus non congruunt: sicut etiam sanctissimus Pater Noster monuit quo ad receptionē mercedis laboris; vt hæc fiat humiliter sicut decet seruos Dei & paupertatis sanctissimę sectatores, ne videlicet videamur ad huiusmodi mercedem ius aliquod prętendere.


Magis cauendum est pro talibus legatis iure agere: licet enim Nicolaus Tertius Pontifex in capite *exijt qui seminat* voluerit Prelatos Ecclesiæ & Magistratus sęculares pro officio suo promptos se exhibere vt curent, *pias decedentium voluntates impleri: & vt hæredum cupiditas legitimis ictibus feriatur*. Id tamen nomine fratrum, vel ad eorum instantiam fieri nullo modo congruit eorum statui & paupertati: vnde & per statuta Ordinis semper prohibitum fuit & prohibetur.

Simili modo licitum est (sed etiam cum prudentia & cautela practicandum) de licentia & voluntate Dominorum, ex certis syluis ligna cedere & colligere; prætermissis ijs qui importuna & molesta mendicatione vrgeri deberent. Prout illustris & pię memorię Iacobus Comes Hornanus, Fundator cōuentus Obseruantium prope Vvertæam, in quo postmodum Regulam professus est in flore Obseruantię, obligauit hęredes suos

suos vt permitterent fratres eiusdem conuentus fodere ac extrahere cespites ex certa parte myricę vel terrę palustris; quod etiam vsque in hodiernum diem fit, sed pręmissa humili petitione. Quod vero subinde ex talibus eueniat vt homines plebei rem non introspicientes vocent tales siluas vel fundos fratrum Minorum per accidens est, eisque est ignoscendum, & tanquam rudiores de veritate pro posse instrui debent. Sed hoc mirum est quod viri Religiosi eiusdem Regulæ professores, qui proinde eam intelligere supponuntur, provt deberent; rem per regulam licitam, & circumstantijs debitis honestatem tamquam Regulę transgressionem & sanctę paupertatis naufragium traducant.

QVAESTIO
Vigesima.

An prouisiones annuas rectè RR. PP. Capucini Obseruantibus improperauerint.



PROVISIONES annuas granorum, carnium, candelarum, cereuisiæ, vel vini (vbi illud est potus ordinarius) tanquam minus conformes Regulæ nimium videntur aliqui damnare: nam Nicolaus Tertius in capite *exijt* inter cœtera dicit, quod *Fratres Minores sic seipsos Diuinæ prouidentiæ committunt, vt viam non contemnant prouisionis humanæ*. Et licet vbi per quotidianas mendicationes congruè haberi possent Fratribus necessaria, minus conueniat viris Euangelicis in menses & annos prouisiones facere: sic tamen se velle Diuinę prouidentię committere, vt quasi miraculosè sæpe necessaria obtineri deberent, est non meo solum iudicio; sed etiam sancti Bouauenturæ (quęstione septima super Regulam: vbi de huiusmodi prouisione suo tempore facienda agit) Deum tentare, et non Spiritum istius sententię Euangelicę: *Nolite solliciti esse in crastinum* sed corticem litterę, seu litteram Iudaicam velle seruare.

[Si diligenter, *inquit*, Euangelij verba pensamus, solli
citu-

citudinem de crastino, sed non prouisionem prohibere videtur. Vnde sancti Apostoli Euangelij Christi perfectissimi Obseruatores, tam pro se, quam pro alijs Christi pauperibus, qui omnia pro Christo reliquerunt, à fidelibus subsidium pro corporum necessitate, etiam in futurum petebant & recipiebant. Sicut Paulus rogatus à Petro, Ioanne; & Iacobo, collectas fieri per Ecclesias pro Christi pauperibus sustentandis mandauit, *Gal.6. 2.Corinth.*8.& alijs locis pluribus reperitur id fecisse, qui etiam pro acquirendis necessarijs sibi & socijs suis laborauit manibus.

Sollicitudo enim notat curæ anxietatem, illicitam conquæstionem, auaram superfluorum prouisionem, sicut enim in operatione salutis nostrę principaliter spem in Deum iactare debemus, ita & in corporali subsidio, sollicitudinem debemus ei commmittere, & tamen vbi congruè possumus, sine iactura spiritualis profectus, nostri & aliorum nobis necessaria prouidere: ne aliter quasi Deum tentare videamur, vt miraculosè, (sicut olim filijs Israel) nobis quotidie alimoniam subministret. Licet enim priorum fratrum puritas pro maioris perfectionis ardore, pauciora quam nunc consueuerint ad victum colligere necessaria, & populus propter hoc talem opinionem conceperit, quod nil nobis licet seruare in crastinum, tamen nec tunc, nec nunc aliquo modo nobis prohibitum est statuto, quin possimus ad victum aliqua etiam necessaria in futurum, pro aliquo tempore prouidere, maximè de ijs quę in promptu, dum indigemus, non possumus acquirere mendicando. Sunt enim quę nisi colligamus certo tempore, quando est copia, quando inter manus communiter habentur à populo, postmodum nec pro infirmis, nec pro hospitibus, nec pro alijs, sine magna difficultate, vel magno pretio poterunt haberi. Mendici enim maximè illo tempore solent necessaria petere; quo sciunt ea promptius à dantibus inter manus haberi, vt circa horam comedendi. Sic & Dominus populo certo tempore præcepit Mannæ alimoniam colligere, quam non omni tempore in agro, etiamsi quęrerent, inuenirent. *Exod.* 16. *& Psalm.* 144. tu das escam illis in tempore opportuno. In hoc enim non tam nobis, quam illis à quibus petimus, prouidemus, quando tali tempore petimus, quo ipsi

facilius dare possunt, & magis sunt voluntarij ad eleemosynam largiendam.]

Frequenti verò ad Benefactores recursu, sine aliqua prouisione communitatibus præsertim maioribus, prouidere, vel est impossibile, vel adeo importunum, vt per hoc grauentur boni fideles, & paupertas Euangelica fiat ipsis molesta, & odiosa. Ad hoc propositum referam quid nostro tempore contigerit in ciuitate Antuerpiensi: Emporio totius Europæ nobilissimo, populo & diuitijs abundante: erant in ea congregati viri istius vrbis primarij, qui Eleemosynarij vocantur, & quotannis duo noui ex præcipuis eliguntur, ad numerum viginti circiter personarum. Cum tractabatur de subsidio pauperibus familijs, & alijs inueniendo; & inter cœtera mouebatur difficultas, quod multitudo Religiosorum Mendicantium ciuitatem grauaret, & pauperibus communibus, adeoque etiam ipsis quibus eorum cura incumbebat, multum præiudicaret. Inter alios discursus, quibus aliqui Religiosos excusabant, alij reprehendebant; quidam (tunc non amicus singularis Ordinis nostri) dicebat in pleno consessu. Fratres Minores in hac vrbe omnes cœteros Religiosos mendicantes numero excedunt, & tamen à nullis minus grauatur ciuitas, & habitatores eius, quam ab ipsis: ipsi enim semel in anno ostiatim petunt humiliter eleemosynam carnium, semel candelarum, & semel cereuisię; veniunt semel in hebdomada panem petituri, manent humiliter, mendicorum more, ante vel circa ostium domus, venit nunc hic, nunc ille (quia omnes, vsque ad Guardianum inclusiuè per suum turnum petunt eleemosynam) do quando lubet, quantum lubet, etiã modicum sine vlla verecundia; si mihi non sit integrum dare, dici curo per famulum, vel ancillam me & feminam esse impeditum, non vacare mihi nunc dare eleemosynam, & ita à recedentibus me expedio, & nullam irreligiositatis notam alicubi, vel apud aliquos incurro. At, inquit, tales & tales Religiosi (nominabat aliquot Ordines recentiores, inter cœteros etiam RR. Patres Capucinos) sæpius in anno mittunt suum ordinarium eleemosynarium; vel aliquando aliqui nobis veniunt, inquirunt an domi sit pater familias, petunt loqui domino, vel dominę, post discursus familiares præparatorios, paupertatem suam & necessitatem exaggerant, eleemosynam

petunt.

petunt. Si recuso, notor vt minus Religiosis addictus, si dem modicum verecundor, tanquam improportionatam eleemosynam elargiens tantæ necessitati. His agendi modis grauamur, & de illis meritò conqueri possumus, tanquam pauperibus, & nobis præiudicantibus. At de alijs Religiosis (qui deseruiunt ciuitati in spiritualibus, noctu diuque parati assistere infirmis, vel alijs indigentibus) non est quod vllus conqueri possit, quæ sine molesta importunitate debitam pro laboribus sustentationem mendicant humiliter. Exceptus est cum applausu, & approbatione omnium discursus: creuitque in plurium cordibus deuotio ad antiquos mendicantes, & specialiter ad Fratres Minores, provt certa fide nobis relatum est.

Ex quibus & multis alijs, quæ allegari, & referri possent, patet non ita canonizandos esse modos Capucinorum frequẽtius petendi necessaria vitæ per fratres Eleemosynarios ad hoc deputatos: prçter enim libertatem, & nimiam authoritatem, quam facile contra Superiores isti fratres laici arripiunt; habent etiam annexa apud sæculares sua inconuenientia. Adeoque non ita damnandi erant modi qui videntur prouisionem aliquam prç se ferre, nam præterquam quod minus graues sint hominibus; minus onerosi & distractiui fratribus: ad ipsorum insuper paupertatem seu pauperem vsum conducunt, dum, ex defectu quotidiani recursus ad benefactores, fratres plerumque durioribus & pauperioribus cibis reficiuntur, qui ex quotidiano quæstu frequentius recentiores & lautiores haberent; provt fieri apud alios satis nobis constat (nec inuidemus) vt non sit opus tanta dissimulatione qua aliqui videri volunt semper omnibus indigere. Neque in hoc contra nos; sed pro nobis facit Clemens Quintus in sua declaratione dicens, non [esse verisimile sanctum Franciscum voluisse fratres & filios suos habere granaria, vel cellaria, vbi quotidianis mendicationibus deberent sperare posse transigere vitam suam. Et idcirco non ex timore leui relaxare se debent ad congregationes & conseruationes huiusmodi faciendas; sed tunc tantum cum esset multum credibile ex iam expertis quod non possent vitæ necessaria aliter inuenire. Nam subiungit: Hoc autem Ministrorum & custodum simul & separatim in suis administrationibus & custodijs (cum

Guardiani & duorum ex conuentu loci discretorum Sacerdotum, & antiquorum in Ordine fratrum, consilio & assensu) duximus iudicio relinquendum: eorum super hoc specialiter conscientias onerantes.] Vnde mirum est quod isti tam acriter carpant tanquam illicitè facta, quę iudicio Superiorum Pontifices reliquerunt, & ex tot causis & considerationibus fieri licitè posse declarauerunt.

QVAESTIO Vigesima Prima.

An excessus manifestus in Aedificiys & paramentis Ecclesiæ iustè fuerit pro causa separationis allegatus?



VENIO nunc ad Aedificia sumptuosa, quæ tam sæpe in Ordine inualuisse significantur, & mira acerbitate obijciuntur. Verum quæro ab illis; quandonam hæc ædificia in tanta quantitate ędificata sint? an post vnionem Ordinis sub Leone X. factam anno 1517. an vero ante illam? prius vix potest cum vlla apparentia asseri, nam sic spatio quinque vel sex annorum non debuissent fratres ferè aliud fecisse, quam ędificare: cuius nullum in vllis historijs puto inueniri vestigium. Si ante, pro vt ex varijs Ordinis monumentis, attentatis & inchoatis reformationibus (etiam sub Obseruantia) euidenter colligitur; certum est illa non dedisse rationabilem causam tantopere Ordinem criminandi & accusandi, quasi hæc sola fuerit causa sufficiens eum deserendi.

Patent hæc ex Bulla Leonis X. quæ incipit: *Dilecti filij merentur vestræ*, data anno 1514 qui consultus à Fratribus Obseruantibus *num ipsi inhabitare possent domos amplas & spatiosas quæ in præsentiarum in Ordine & familia ædificatæ erant, ita vt potius palatia magistratuum reputari posse viderentur, quam habitationes pauperum, & vtrum possent retinere pretiosa ornamenta, & alia Ecclesiæ mobilia* Propter quæ dicit, nonnullos ex fratribus *molitos fuisse Conuentus relinquere, ad Eremitoria*

se

se transferre, & fugere, in diuini cultus detrimentum & scandalum plurimorum, ac Ordinis & familiæ perturbationem. Respondit: quandoquidem *ea sine speciali Sedis Apostolicæ mandato alienare non possent*, vtpote ad illam pertinentia; & ipsi illorum essent non possessores, sed Custodes: *absque suæ Professionis macula aut violatione*, huiusmodi tam domibus, quam ornamentis *vti, & potiri liberè, & licitè posse.* Patent etiam ex multo anteriori Clementis V. resolutione & mandato, quod refert S. Bernardinus, columen Obseruantię nostræ, tunc Vicarius Generalis Vltramontanus in sua Epistola ad omnes suos subditos, in qua, inter cætera 4. loco habetur: *Et propterea Clemens V. licet decreuit ædificia nimis sumptuosa non conuenire statui Fratrum Minorum; tamen præcepit sub pœna excommunicationis quod dicta loca Fratres non relinquerent absque Sedis Apostolicæ licentia speciali. Et excedentia superfluitatis & curiositatis non est sufficiens causa propter quam Fratres debeant recedere à loco; nisi fuerit de illis aliquid propter quod Regula non posit spiritualiter obseruari.* En quæstionem à sancta Sede, & Sancto viro Regulæ obseruantissimo resolutam. Cui à accedit. Quid ergo tantopere Ordo inobseruantiæ accusatur? & sumptuosa ędificia pro causa dicessus, non tantum à locis; sed etiam ab Ordine allegantur?

Scimus sanctum Franciscum Patrem nostrum in testamento cauisse: *vt Ecclesias habitacula, & omnia quæ pro ipsis construuntur penitus non recipiant, nisi essent sicut decet sanctam paupertatem quam in Regula promisimus.* Testamentum illud tamquam veri filij admittimus, veneramur, obseruare volumus, & dolemus subinde videre excessiua ędificia, vel à sęcularibus vel à Fratribus minus zelosis ædificari; quę sępius ad superfluitatem excrescunt, antequam Superiores, architecturę minus periti, aduertant. Quid faciemus? destruemusne quod ędificatum est? At maius hoc esset scandalum, vtpote duplex peccatum contra paupertatem: recusabimusne? *At interdum ob magnificentias Principum plurimorum, & aliorum dominorum, qui non secundum, quod nostræ congruit paupertati, sed secundum quod eorum congruit excellentiæ volunt & nostras domos construere, & pro diuino cultu cappas &c. paramenta, calices & vasa Altaris pro summi Dei honore elargiri, adeo vt talia respuere non possimus, & non sinunt ista donantes*

alienare, nec demoliri iam constructa permittunt. Sic loquitur Leo Pontifex in supra citata Bulla vbi & addit quod ea sine speciali Sedis Apostolicę mandato alienare non possimus.

Nimis igitur longè quæsita videtur hæc obiectio, tantum ad detrahendum Ordini, illumque apud homines & Ecclesiæ Primates denigrandum, e latebris extracta. Insuper dico cū sancto Bonauentura quæstione 6. super Regulam (cuius temporibus hæ quęstiones & querelæ motæ sunt) *In ciuitatibus altiores domos & lapideas ædificari à Fratribus propter pericula incendij vsque durabiliores* sint, & non sępius cum destructione cordium cogamur reędificare & reparare, & hoc licitè propter fundi angustias: ex quo *domus nostra magnæ apparent & sumptuosæ, & paupertati dissimiles, cum tamen paupertas hoc magis efficiat: quia ne circa dilatemur, inferius angustamur*. Supponit hic S. Doctor id quod supra dixerat, officinarum multitudinem necessariam esse ad disciplinam monasticam seruandam: adeoque cum non possint, præ fundorum angustia, omnes inferius haberi, vna super aliam locanda est, estque notandum quod Clemens non absolutè declaret prohibitam esse omnem ædificiorum magnitudinem & sumptuositatem: sed notabiliter excessiuam, cuius indicium desumi non debet ex altitudine parietum, situs latitudine, multitudine cellarum ac officinarum, sed per ordinem ad numerum Fratrum inhabitantium: sic enim expresse loquitur Clemens: *Conuenit ipsis, quod nullo modo deinceps fieri faciant, vel fieri sustineant Ecclesias, vel alia quacunque ædificia quæ considerato Fratrum inhabitantium numero excessiua in multitudine & magnitudine debeant reputari*.

Si vero quæratur quare tam magnum Fratrum numerum in vno conuentu reponamus; respondebit sanctus Bonauentura in enchiridion Fratrum Minorum capite 7. in Regulam; [Quia maior disciplina potest seruari, maior deuotio, & ordinatior vita, melius vbi Nouitij instruuntur plurium bonis exemplis, studiosi exercitantur, magis animarum vtilitati per plures Prædicatores & Confessarios prouidetur diuinum officium solemnius celebratur. *In paruis autem conuentibus*, cum alij sunt interminis (*inquit sanctus Bonauentura*) aliqui in villa pro eleemosyna, alij forte debiles aut infirmi, aliqui occupati officijs in domo; nec disciplina Religionis, nec studium, nec

nec deuotio in diuinis valet (pro vt expedit) obseruari;] Cum siquidem Ordo noster maiestatem diuini officij conseruet præ cęteris (quod spero sine arrogantia, & vllius offensa me dicere posse) simulque cum cęteris, si non præ cæteris in animarum salute, prædicatione, Sacramentorum administratione (quæ nunc frequentior est, quam solebat; vtinam & fructuosior) strenuè laboret: nemini videri debet mirum si conuentus maiores habeamus quam RR. Patres Capucini; qui vitæ potius eremiticæ & contemplatiuæ, quam actiuę ab initio professionem fecerunt.

Addo tamen cum S. Bonauentura: [Non intendo his excusare nisi quæ valde necessaria sunt & rationabilia, vbi autem superfluitas, curiositas, & irreligiositas & Regulæ & paupertati nostrę derogantes essent structuræ, reprehendo, & omnia quæ Deo displicent tam in moribus quam in rebus.

Factos verò aliquando tales excessus etiam in suo Ordine & à Deo grauiter punitos fuisse fatetur Bouerius: & hoc non in vno, sed pluribus locis & personis: Quid si ergo etiam in tanta Ordinis latitudine excessus fiant vel facti fuerint; an ideo sic totus Ordo sugillandus? Deus frequentius sibi displicere ostendit, & Superiores etiam quantum possunt impediunt, quod si non possint omnia euitare; id nec Deus facit, qui tamen potest. Desinant itaque tam amarè calumniari sed fraterne moneant, & condoleant.

pro huius quæstionis conclusione hic addendum videtur id quod de Gregorio IX. sancto Patri nostro Francisco coæuo eique amicitia iunctissimo (qui proinde ipsius mentem & ad Regulę obseruationem necessaria optimè nouerat) refert Vvaddingus ad annum 1230. num. 5. videlicet quod miserit aliquos [qui ferrent pretiosa munera ad cohonestandam translationem sancti Francisci, & adornandam Ecclesiam, Crucem, videlicet auream non mediocris ponderis opere gemmario elaboratam, pretiosis ornatam lapidibus sita in medio magna crucis Christi parte; vasa magna argentea: & ministerialia quęque altaris inaurata; antipendium item magni pretij.] Videant hic oblocutores etiam talem Pontificem hæc non iudicasse indebitis circumstantijs Regulæ & Obseruantiæ nostræ repugnantię.

QVAE-

QVAESTIO
Vigesima Secunda.

An merito RR. Patres Capucini obiecerint Patribus Obseruantibus vestium molitiem & pretiositatem?

INTER cęteros abusus quos Ordini improperant Patres isti Capucini, illorum scriptor Bouerius nullum frequentius repetit, nullum magis seriò inculcat & exaggerat, quam defectum in habitu quoad eius formam & vilitatem, in quo isti primi reformatores dicuntur apud Principes, Cardinales, Pontifices, suo habitu, suis verbis ita Ordinem accusasse. ac si inde omnis sanctitas & Religio dependeret: in faciem etiam Prælatis Ordinis improperasse. Sed remitto eos circa hoc punctum ad Regulam suam c.2. vbi ait sanctissimus Pater postquam de vestimentis vilibus præcepisset; *moneo & exhortor ne despiciant neque iudicent homines quos vident mollibus vestimentis & coloratis indutos, sed magis vnusquisque iudicet & despiciat semetipsum*. Qui hoc de secularibus non iudicandis & despiciendis monuit: non concessit despici confratres & iudicari Superiores, quibus de vestium vilitate tam sæpe à Summis Pontificibus iudicium committitur.

Id itaque imprimis in hac materia statuendum est: vestium vilitatem Fratribus in Regula pręceptam esse, vtpote quibus dicitur, *Fratres omnes vestimentis vilibus induantur*: ac proinde Superiores, quibus iudicium de vilitate vestium committitur, obligari in conscientia vt semper maneant, ac Fratres manere cogant intra terminos veræ vilitatis. Quod satis expressè indicat Clemens, qui postquam iudicium & determinationem de vestium vilitate Superioribus cōmisisset, subiungit; *ita tamen quod seruent in vestibus vilitatem*.

Secundo statuendum est hanc vilitatē non esse preceptam in aliquo determinato gradu siue non consistere in indiuisibili; alioquin frustra Superioribus iudicium & determinatio committe-

mitteretur: quando ipſamet Regula ſummam vilitatem determinaret. Et notandum quod Pontifices non dicant ſe committere Superioribus iudicandum & determinandum, quænam viliores aut viliſſimæ cenſeri debeant. Sed quam viles ſecundum Regulam, *Ita quod ſeruent in veſtibus vilitatem.* Vnde exorbitat Bouerius in particulari tractatu de vera habitus forma, demonſtratione vltima (quæ contra aliquem alterius Ordinis videtur conſcripta) num. 18 dicens licet in Regula ſola vilitas præcipiatur, ex mente tamen Legislatoris, quę eſt anima legis, pręcipi Fratribus Minoribus viliores & viliſſimas veſtes, & ex hoc infundato & falſo principio, credo infundatas illas reprehenſiones Ordinis Obſeruantium eiuſque Superiorum eſſe deductas.

Fundatur autem Bouerius, tum in prima Regula, vbi poſt vilitatem veſtium præſcriptam dicitur; *Et licet dicantur hypocritæ non tamen ceſſent benefacere*; tum ex illis quæ in ſecunda Regula habentur, *& poſſint ea repetiare de ſaccis & alijs petijs cum benedictione Dei:* Nam ex ſola veſtium vilitate, quæ Religioſis omnibus communis eſt & plerique familiaris, nemo hypocrita cenſeri poteſt: adeoque veſtes quas Beatus Franciſcus amplectendas pręſcribit oportet eſſe viliores aut viliſſimas; ex quibus ſolis nata eſt oriri ſuſpicio hypocriſis. Breuiter: illas veſtes S. Franciſcus in Regula præſcribit ex quibus nata eſt oriri ſuſpicio hypocriſis; atqui illa non eſt nata oriri niſi ex vilioribus aut viliſſimis; igitur illas præſcribit. Reſpondeo negando maiorem & minorem. Maiorem, quia non mandauit ſanctus Franciſcus vt daremus alicui occaſionem malæ ſuſpicionis; ſed tantum quod etſi hanc aliquis ex bono opere & ſpecialiter ex humilibus & vilibus veſtimentis conciperet; & deferentes inter hypocritas ſuggillaret, non propterea bonum eſſe ommittendum. Minorem vero nego: quia homines mali & carnaliter ſapientes (quales eſſe conuincuntur, qui ex bonis accipiunt occaſionem vocandi aliquos hypocritas) bona inuſitata, etiamſi parum per tantum à communi agendi modo recedentia, hypocriſim facile appellant, & in peiorem partem interpretantur. Idque confirmatur ex eo quod hæc verba S. Patris noſtri: *Et licet dicantur hypocritæ*, & non ponantur immediatè poſt vilitatem veſtium in prima Regula præſcriptā (vt Bouerius malè dicit) ſed poſt ſententiam illam Euange-

licam : *qui in veste pretiosa sunt & in delitijs, & qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* Vbi notandum quod mundani à quibus Religiosi omnes dissentimus facile eos omnes vocent hypocritas qui ipsorum modum agendi & vestiendi verbo & exemplo damnant.

Minus adhuc valet probatio desumpta ex eo quod *possint ea repetiare de saccis & alijs petijs &c.* Ex quo infert Bouerius adeo vilem debere esse pannum vt à sacci vilitate non multum distet, quæ illatio friuola est: non enim solos saccos sed etiam alias petias nominat. Et dato quod sacco repetiemus vestem, non sequitur ex hoc vilissimam ante fuisse; sed quod possimus eam, repetiendo isto modo, facere viliorem quam ante erat præsertim si exterius repetietur. Sed quid si interius fiat contra sudores & similia incommoda? Datis tamen omnibus gratis quæ petit Bouerius: inde adhuc nullum præceptum colligitur, sed ad summum vilitatem istam commendari. Quod intelligendum est, salua semper Religiosa honestate, Ordinis vniformitate & Superiorum Obedientia, quæ secundum extrauag. *Quorundam exigit, omnibus istis præferenda est.*

Non autem præcipitur, nec ab vllo Pontifice declaratur vel aliquo approbato explicatore Regulę pręcepta intelligitur, nisi vilitas simpliciter quę verè talis sit. Quod vero aliquoties vtantur terminis istis, *vilioribus* aut *vilissimis* est certum non debere, nec posse in verbi rigore intelligi: quia numquam tam vilem habitum mihi exhibebunt, quin possim facere viliorem. Faterurque ipse Bouerius supra num. 22. à Martino Quinto prohibitos esse *habitus monstruosos qui Religiosæ & Minoritanæ vilitatis honestatem excederent*. Quales (pro beneuolo suo in Obseruantes affectu) dicit ab ipsis fuisse assumptos circa annum Domini 1418. *Quo tempore noua exurgente (inquit), Obseruantium familia, Ordinis reformatio excitata fuit. Quos Pontifex compescuit sua constitutione ne dum plus æquo ex habitu contemptibiles haberi volunt, Religionem in contemptum & derisum pertrahant.* Errat tamen grauissimè Bouerius dicens nouam Obseruantium reformationem tunc exurrexisse, quia noua Obseruantium reformatio iam à 50. annis inchoata, circa illa demum tempora cœpit maximè efflorescere & roborari accessione Beati Bernardini Senensis, Ioannis Capistrani, Alberti Santianensis, Iacobi Piceni seu à Marchia, quos numquã

mon-

monstruosos habitus portasse luce clarius est: sicut nec vllum in vllis Ordinis historijs inuenitur vestigium, quod Patres Obseruantes vllo vnquam tempore habitus monstruosos Religiosam honestatem & Minoriticæ vilitatis limites excedentes gesserint. Errat secundo, dicendo quod Martinus Quintus ordinas quod *Omnes fratres vestimentis talibus induantur, quæ nec sint adeo pretiosa, quod videntes ea curiositatem vel vanitatem notare debeant: nec ita vilia & grossa, quod ipsa videntes ad terrorem inducant, & prouocent ad derisum*; non nihil illorum temporum calamitati tribuere voluerit: *Cum enim* inquit, *ob communem Ordinis à Regulari Obseruantia lapsum, tunc pretiositas, ac mollities in fratrum vestimenta passim grassaretur: satis Pontifici visum fuit si pretiositatem ac curiositatem à fratrum vestimentis auelleret; vilitatemque quæ iam exoleuerat, in ea rursus inueheret*. Ita semper Bouerius in Ordinis relaxationem inuehitur impetuosius, vt simul cum Ordine etiam Obseruantes (qui tunc in eo erant & florebant, vt diximus; quibusque cum Conuentualibus nunquam de habitu fuit altercatio, sed de redditibus & alijs paupertati repugnātibus eliminandis) & ipsos Pontifices inuoluat, quasi in declarandis Regulę obligationibus, non quod verum erat statuerint; sed dissimulationibus vsi Regulę transgressiones sua authoritate firmauerint. Dicit enim Bouerius idem dumtaxat Martinum Quintum in sua (de qua loquitur) constitutione decreuisse, quod Clemens V. & Ioannes XXII. antea declararunt. Illi autem non se dispensare voluisse dixerunt (ad hoc enim requisiti non fuerant) sed declarare. Ioannes enim XXII. expresse dicit in sua Extrauagante: *Quorundam exigit, cum nec expresse, vel determinatè in prædicta Fratrum Minorum dicatur Regula vel declarationibus ante dictis, quantæ longitudinis, quantæ latitudinis, quantæ grossitiei, vel subtilitatis, qualis formæ, qualisue figuræ huiusmodi debeant esse vestes sicut nec qualis, quantæque vilitatis, eas esse oporteat exprimitur in eadem, sicque quoadmodo eadem vrgente necessitate, æquitate non impari, vero sensu, veroque id Regulæ suadentibus intellectu eiusdem Clementis inhærentes vestigijs præfatorum Ministrorum, Custodum & Guardianorum in prædictis horumque similibus fore iudicium declarare compellimur*. Hæc verba an sint indulgentis vel dispensantis, an vero veritatem & iustitiam decernentis cuiusuis intelligenti iudicandum relinquo.

Erat eadem tunc quæstio inter prętensos aliquos zelosos & Superiores ac communitatem Ordinis quæ hic iam disputatur, illi volentes plus sapere quam oportet sapere (vt loquitur Pontifex) vtebantur eodem argumento vel euasione potius, quo vsos scribit contra nostros Superiores Bouerius suos Capucinos, videlicet quod iudicium quidem de vilitate vestium commissum esset Superioribus, ita tamen vt seruent in vestibus vilitatem, quam zelosi isti prætendebant non seruari, non obstante contraria Superiorum determinatione, quibus hoc iudicium commissum erat. Pro quibus etiam Pontifex tulit sententiam, declarauit quantitatem vilitatis non esse in Regula determinatam, in eaque standum esse Superiorum iudicio. Quæ ergo ratio in hoc carpendi Ordinem Obseruantium de transgressione Regulę in vestium mollitie & pretiositate? An molliores & pretiosiores vestes assumpserant Obseruantes post tantillum temporis suæ approbationis & cõfirmationis omnimodę, quam antea habuerant Conuentuales, contra quorum abusus Regulę Obseruantiam tam seruenter & fortiter zelauerant.

Melius Bouerius in istis suis inuectiuis consuluisset R. Patrem Hyronimum à Politio, suorum Capucinorum aliquando Generalem, qui in caput vigesimum 2. Regulę num. 104. scribit: *Illæ vestes merito & absque vllo scrupulo viles circa colorem & pretium habendæ sunt, quæ à Ministris, Guardianis, & Custodibus pro talibus iudicabuntur & concedentur; quamuis aliæ alijs sint aliquando viliores, non enim hæc vilitas in puncto indiuisibili consistit, dummodo verè pretiosæ non sint. Sed si dubium esset an verè vilis secundum vsum religionis hæc & illa vestis censenda sit, tunc dictorum Prælatorum iudicio securè stàndum est.. præsertim quia Ioannes XXII.* (Extrauagante Quorundam exigit) *arbitrio & determinationi dictorum Prælatorum standum esse voluit.* En quam procul à veritate (etiam suorum iudicio) aberret, qui vilissimas aut viliores vult esse pręceptas, & propterea Obseruantium Ordinem arguit inobseruantię.

Tandem errat Bouerius, demonstratione supra citata numero 20. asserens perspicuum esse vilissimis: *sanctum Franciscum ac Socios vestimentis vsos fuisse*: nam ille ipse habitus, quo vsus est sanctus Pater Noster eo tempore, quo recepit Christi Domini Stigmata, qui Florentiæ asseruatur, non fuit aut vilissi-

sissimus . aut extraordinariè vilis, vt patet ex Annalibus Reuerendi Admodum Patris Lucę Vvaddingi Tomo 1. ad annum 1208. num.5. vbi narrat eundem ex christallina arca extractum ad preces Reuerendi Admodum Patris Antonij Daza anno 1621. ad satietatem visum & curiosius examinatum esse. De quo sic vlterius scribit: *Color perfectè cinereus, qualitas sagi vilis, nec tamen rudissimi, Hispani Sayál vocant, Itali panno rigato; strictioris Obseruantiæ, & Prouinciæ citerioris seu Tarraconensis Hispaniæ Patres asperiorem gestant, ea,* quam habui præ manibus particula *strictus nimis non est, nec pannosus valde, aut præsegmina habet alterius panni nisi ad vnam lauam manicam vno quo resarciri indiguit loco*: non itaque verum est Beatum Patrem Franciscum ac socios vilissimis semper vsos esse vestimentis. Addit tamen bonus ille Pater se fuisse lætatum quod in diuersis Prouincijs potius adhuc superent filij sui Patris & Institutoris, saltem in exteriori veste asperitatem, consciffęque & laceræ tunicæ filij augeant vilitatem. Lętor & ego, & laudo Capucinos quod vestium vilitatem zelent; sed in hoc non laudo quod tam facile Fratres suos Obseruantes iudicent & condemnent inobseruantiæ & transgressionis Regulę, quia eorum habitus non fuit tam vilis, quam fuit Capucinorum in primo suo feruore. Sanè (cum hęc sint minima) illum habitum carpere non debuerunt in quo S Franciscus & S.Bernardinus Sancti fieri & esse potuerunt. Nam R.P.Sedulius in cap.2. comment. in vitam sancti Francisci hęc habet: *prope à Senis in monasterio Fratrum instituti de Obseruantia, vidi habitum, quo indutus fuit sanctus Bernardinus, eadem forma cum nostro, color similis nec ipse valde vilis pannus.* Itaque sine vilissima & viliori veste Regulam seruare & salutem consequi possumus, & ingredi ad vitam æternam.



QVAE-

QVAESTIO Vigesima Tertia.

An meritò de forma habitus quæstio moueatur inter Professores Regulæ Franciscanæ, & quinam illam moueant.

LEVIORIS momenti, & minus digna viris religiosis est quæstio de forma habitus, nimis seriò & acriter controuersa, quam antiquitus exortam inter Obseruantes & Capucinos vltro citroque agitatam; cum iam vetustate antiquata, silentio extincta, Pontificum Bullis sublata, ac demum altè sepulta videretur, hac tempestate resurgere rediuiuam, videtur velle conqueri Bouerius in Præfatiuncula ante plus æquo longas demonstrationes de vera habitus forma. Sed non scio, quis mortuum illum & sepultum suscitauerit, nisi illi qui primitus ei vitam dederunt. Omnibus machinis & vitijs quaqua versum impugnat Ordinem nostrum Bouerius, nititurque inflictis inobseruantiæ vulneribus confodere; etiam lapsum ac defunctum declarare, vt possit nouum suæ prætensæ reformationis Phœnicem in Ordinis iam antiquati, & collapsi locum substituere. Nec ab vlla parte acrius aggreditur, & frequentius, quam circa habitus formam. Circa illum enim sanctam & fundamentalem reformationem à Matthæo Basio diuino spiritu afflato ac cælesti visione impulso vult inchoatam in proemio num.52. sanctum Franciscum eidem Capucinorum habitu indutum non semel apparuisse ibidem num.70. scribit ad annum 1525. num.1. Matthæum sacro ac cælesti semine grauidum fuisse denuntiat, quem tamen postea nihil aliud peperisse agnoscit, quam formam habitus: quia sui instituti vel alicuius reformationis auctorem non agnoscit.

Vbi hoc notandum quod Franciscus à Cartoceto Eremita Ordinis Obseruantium, Matthæo à Basio in re tanta (scilicet de forma habitus seruanda) consilium ab eo exposcenti,

consuluerit à quadrati caputij forma abstinendum; ne quid ab eo temere fiat quod iure reprehendi posit, vt habet ad annum 1525. num. 5. quam tamen ibidem num. 9. antequam Pontifici loqueretur iterum resumpsisse narratur, ac coram Pontifice dixisse: *Ex antiquissimis Ordinis monumentis, atque ex ipso Regulæ præscripto, omnibus perspicuum est Beatum Patriarcham Franciscum non alio, præterquam vilissimo habitu contentum fuisse, ac præterea quadrato atque acuminato caputio absque vllo scapulari, immediatè cum habitu coniuncto; hoc plane modo, quo me illud gestare nunc sanctitas vestra intuetur, cum tota illa primæui Ordinis familia vsum fuisse, veram Beati Francisci habitus formam in Ordine perijsse, & cum ea Regulæ quoque Obseruantiam, præsertim in ijs quæ ad altissimæ paupertatis cultum pertinent, magnopere dilapsam fuisse*. Quis hic mortuam & sepultam quęstionem resuscitat, & ita mouet; ac si in acuminato caputio conseruata fuisset Obseruantia, & cum eo deperdita? nonne Matthęus ille cœlesti semine grauidus, quem describit Bouerius tandem veram habitus formam Pontifice obstetricante enixum fuisse? & licentiam eam portandi pro se accepisse, neglecto tamen (pro vt ipse vult, diuino instinctu) diplomate, quod Pontifex pollicebatur sequenti die se daturum, vt scilicet hanc reformationem non ab homine, sed ab altissimo Dei consilio pendere declararet. Non puto hic tacitè prętereundum quod num. 11. addit Bouerius (licet Clementem VII. virum alioqui grauissimum, omniaque maturè prouidentem constet extitisse) quod tamen in hoc Matthæi negotio in quo de totius Ordinis Minorum reformatione agebatur tam cursim ac festinatò itum fuerit: vt facile læuitati ac imprudentię res adscribi potuisset nisi maiori ac superiori Consilio acta fuisset. Sic Bouerius omnia sua supernaturalia facere nititur, ne aliquod subreptitiè factum & impetratum esse deberet confiteri.

Ad annum 1526. num. 50. comparat suam pretensam reformationem domui Euangelicæ supra petram fundatę Matthęi 7. cuius (vt ait ad annum 1525. num. 23.) primus omnium Matthęus vero antiquoque B. Francisci habitu restituto prima Capucinorum reformationis fundamenta iecerit. En firmam petram, supra quam fundata illa Ecclesia portis inferi pręualuerit, vt non videatur immeritò de ea iam seriò tracta-

re.

re Bouerius à qua & nomen diuinitus inditum habere eam vult sicut Petrus à petra, ad annum 1528. num.23. & sequentibus de quo supra satis dictum arbitror.

Ad annum 1533. num,13. refert Generalem Obseruantium obtendisse vt Capucini quadratum caputium deponerent, vt monstrosa in Ordine dissimilitudo quo ad habitum tolleretur, sed quisnam huic propositioni & quęstioni causam dedisse censendus est, nisi qui ante sępe dixerat, & postea num.16. respondisse fertur, non esse consequens: *vt si Ordo ab Institutoris habitu deflexit; reformatio quæ ad illius restitutionem tendit*, nota, *cum Ordine in eandem habitus corruptionem conspiret*: ita Ludouicus Forosempronianus loquitur ad Generalem, & subdit multo acerbiora de corruptione totius corporis à paupertate dilapsi.

Tędet me referre ridicula huius tantillę rei encomia de qua ad annum 1542. num.50. visio Tertiarię ostensa refertur Christi Pontificem cum coetu Cardinalium obiurgantis, eo quod in huius caputij exitium conspirarent, quasi idem esset contra Capucinorum institutum (de quo abolendo Pontifex propter Ochini Generalis turpem lapsum in heresim & Apostasiā deliberabat) & contra caputium istud conspirare. Hoc vnico verbo insinuo totum primum tomum Annalium Bouerij huiusmodi nænijs vndique consperfum esse: in quo tamen sibi non satisfecisse visus, speciali tractatu ex vndecim demonstrationibus composito; quasi post præmissos leuioris armaturę milites & cataphractos, Triariorum tandem agmine oppugnat habitum quem portant Fratres Regularis Obseruantiæ: & propugnant eum, quem à Patribus Capucinis contendit esse mundo restitutum. Quę res ita Patribus Capucinis cordi est, vt in omnibus locis & conuentibus pręcipuis circa portarias, tabulas appendant cum figuris & imaginibus diuersis; quibus eundem suum & sancti Francisci ac primorum eius sociorum habitum esse demonstrare nituntur. Inculcant insuper hominibus, quos visitant, se verum sancti Francisci habitum habere, non verò Fratres Minores, prout aliquando mihi ipsi in Bruxellensi ciuitate obiectum est; ac denique (vt neminem tantę rei veritas lateat) etiam dum pueros habitu Fratrum Minorum Obseruantium indutos vident ex voto, parentes interrogant ipsorum aliqui, quid vouerint, & siquidem induere pro-

re prolem habitu sancti Francisci vouisse se dixerint, conscientiam mouent, quod non satisfaciant tali habitu pueros vestiendo, vtpote qui non sit sancti Francisci, sed ille quem ipsi PP. Capucini portant.

In speciali vero illo tractatu grauius exorbitat; demonstratione enim prima num. quinto dicit errorem eorum, qui quadrati caputij formam à Beati Francisci institutione alienam fingunt, esse tam apertum, vt nulla tergiuersatione celari aut ratione honestari queat. Addidit insuper: *nouum ac planè intolerabilem sibi ad præsidium errorem adsciscunt, quo omnem pene Beati Francisci honorem depascunt ac Minoritanæ Religionis gloriam in discrimen adducunt.*

------ quis talia fando?
Temperet à lacbrymis? ------

Sed quem quęso honorem Beati Francisci, & quam Ordinis gloriam? *quæ* (inquit Bouerius) *ex certa ipsius habitus forma nullo numquam tempore sibi ex orbe vendicauit.* tam sublimia verba sunt vt vix intelligam, quid dicere voluerit.


Demonstratione tertia num. 8. allato ex regulæ 2. cap. argumento: *En* (inquit) *in quales violati habitus anfractus incidunt qui scapulare & lunulam cum Nouitiorum & Professorum habitu coniungunt.* Demonstrationem quartam (quam antiquis imaginibus replet) ita inchoat, vt veritatem odiosam & in arduo positam esse dicat. Nescio an in arduo illo caputio, diçitque se ita velle glorioso agone, & honesto, pro veritate decertare, vt cum inde veritatis lux efulserit, ex ea charitas augeatur. Hoc optandum foret ipsum ab initio fecisse. Proposuit hoc valde bene (si verò) Bouerius, sed non ita seruauit, dum nimia animositate, putans non suam, sed Francisci causam agere, se pro illo & veritate in acie stare profitetur, & hoc totum pro habitus forma.

Nescio an illius suæ charitatis bene meminerit demonstratione nona num. 8. cum discutiens tempus & authorem formæ habitus, quo vtuntur Obseruantes, sic loquitur: *Quis tam sancto viro* (sancto Bonauenturæ quem Authorem putant plerique) *hanc deformationis maculam inurere audeat, vt eo authore vera habitus & caputij forma, quà potissimam*

Minorum Ordo exterius subsistit (debile sane fulcrum, sed nobis absit vt non meliori etiam exterius subsistamus) *primum in Religione perijsse censentur?* verè Bouerius potius se in acie stare ad oppugnandum Ordinem nostrum, & maculas deformitatis ei inurendum ostendit; quam sub vexillo militare charitatis, quæ patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non cogitat malum; quod longè à Bouerio abest, qui isto numero non contentus tentasse probare sanctum Bonauenturam non esse authorem istius nostræ formæ, addit insuper: *is porro* (scilicet habitus formam motare) *cum absque causa fieri nulla ratio ferat, quis causam excogitare queat?* Ex quo sicut sanctum Bonauenturam infert non fuisse Authorem; ita consequens est neminem potuisse habitus mutationem facere vtpote omnino irrationabilem, adeoque nec admitti à quocumque potuisse.

QVAESTIO Vigesima quarta:

An certa aliqua habitus forma a Beato Patre Nostro Francisco præscripta fuerit?



PIGERET & puderet me huic futili controuersiæ immorari (licet eam *tanti ponderis rem* vocet Bouerius demonstratione nona num. 10.) nisi ad hoc nos ipse cogeret, dum totum nostrum Ordinem ex eo inobseruantiæ & transgressionis Regulæ arguit quod habitum eiusque formam à Beato Patre Nostro Francisco institutam & præscriptam in Regula non deferamus; sed in alium commutauerimus.

Itaque imprimis contra Bouerium, non tam statuo, quam à Ioanne XXII. Extrauag. *quorumdam exigit* statutum & declaratum assero, *Expressè vel determinatè in Fratrum Minorum Regula vel declarationibus Pontificum non dici qualis formæ qualisue figuræ debeant esse vestes* eorumdem. Hæc sunt ipsissima

sima Pontificis verba, quibus id in terminis docetur quod Bouerius demonstratione prima num. primo: *nouum & intolerabilem errorem nominat*. Quæ ipse non tam soluit, quam eludere nititur dum num. 15. ait Pontificem solum declarasse B. Franciscum nõ instituisse & mãdasse in Regula determinatã habitus vel caputij longitudinem, latitudinẽ, grossitiem vel subtilitatem, quæ, inquit, ad accidentalem dumtaxat formam pertinent. Quo fit, vt forma illa seu figura habitus & caputij, quam Pontifex Ministrorum iudicio relinquit, ad longitudinem seu latitudinem crassitiem seu subtilitatem vel aliam huiusmodi accidentalem formam quæ habitus essentialia non attingit referri debeat. Sed formam caputij habitui assuti supponens esse essentialem habitui Fratrum Minorum consequenter supponit à Pontifice non fuisse relictam Superiorum determinationi, & forte nec potuisse, saluo statu; quia eo stante non potuit essentia mutari.

Quid igitur de hac re restat disputandum? cum essentiæ non detur ratio; eaque probari non possit, sed supponi debeat. Nescio tamen vnde Bouerius illam suam suppositionem hauserit: cum Regula in littera (cuius obseruantia Bouerius gloriatur) ipsomet teste demonstr. 4. num. 4. quadrati, aut rotundi caputij nunquam meminerit: siquidem simpliciter dicitur cap. secundo regulæ: [Habeant vnam tunicam cum caputio & alteram sine caputio, qui voluerint habere. At, inquit, si regulę non tam litteram, quam spiritum, ac legislatoris non verba, sed mentem inquirimus, haud vlli dubium esse potest, quin is caputij formam in Regula pręscripserit, quam ante Regulam conscriptam cum suis iam institutam gerebat. Vnde Bouerio tanta exuberantia spiritus, qui tam indubitatè hoc ipsi reuelauerit id à sancto Francisco esse pręscriptum quo ipse tunc vtebatur cum suis? vt propterea totum Ordinem diu ante Capucinorum ortum; tot sanctos in Obseruantia, qui non sic Regulam, quam profitebantur intellexerunt, imo ipsos Pontifices à spiritu sancti Francisci aberrasse consequenter dicere debeat, vtpote qui non bene distinguentes longitudinem, latitudinem, grassitiem & subtilitatem à forma & figura, generaliter dicunt non dici *expressè & determinatè in regula qualis formæ, qualisve figuræ debeant esse vestes* Fratrum; ac propterea Superioribus horum

vere accidentalium, determinationem censuerunt relinquendam.

Quia tamen fortè aduertebat Bouerius in sua illa primâ demonstratione num. 15. non esse bene explicatam à se Pontificis mentem quoad formam & figuram habitus quam Pontifex accidentalem reputauerat, aliud comminiscitur num. 16. vocans illam extrauagantem *quorundam exigit* Ioannis XXII. concessionem, *non ex regulæ declaratione haustam, sed ex Pontificis dumtaxat potestate & dispositione profectam*, *vt*, inquit, *ex eadem constitutione exploratum est*. Restat ergo, vt Pontificis mentem exploremus ex eius verbis, qui non dicit se concedere aut dispensare, sed postquam commendasset declarationes Nicolai III. & Clementis V. addit; *nostras indubiè ipsorũ prædecessorũ declarationibus declarationes adiungamus, sicque dies diei eructat verbum*, & post pauca, *diligenter super his perscrutatione & matura deliberatione præhabitis, de fratrum nostrorum consilio infrascriptas declarationes, commissiones, ordinationes, & præcepta quæ inferius inseruntur duximus adiungenda*. In ipso autem progressu non dicit se quidpiam concedere aut dispensare, presertim circa punctum quod tractamus, sed *vero id sensu, veroque id regulæ suadentibus intellectu*. Heccine sunt verba concedentis vel dispensantis in Regula, an potius eiusdem verum sensum & intellectum declarantis? Et in fine concludit: *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis commissionis, constitutionis ac mandati infringere*. &c. Vbi hic dispensationem vel concessionem legit Bouerius vt sit ex constitutione ipsa exploratum *esse concessionem non ex regulæ declaratione haustam*?

Sed interrogare libet Bouerium, vel alium quempiam qui ipsius opinionem tueri voluerit, si forma illa quam in suo habitu gestant Capucini, sit à Beato Francisco non instituta tantum; sed etiam in Regula præscripta & præcepta, quomodo, postquam à Clemente Septimo pro Capucinis tanquam Eremitis extra Ordinem approbata fuit, à Paulo Tertio in bulla quę incipit: *Cum sicut nobis* data anno 1536. 29. Aprilis, prohibetur omnibus, qui sub Vicarij Capucinorum Obedientia non erant, sub pœna excommunicationis *gestare quoquo modo habitum per Capucinos deferri solitum*?

An Pontifex ijs qui ex professione ad Regulam S. Francisci obli-

obligantur prohibuit illum habitum gestare, qui ipsis in Regula à Beato Francisco præscribitur? Quomodo nostra hæc forma ab octo summis Pontificibus, triginta Capitulis Generalibus confirmata, approbata & præscripta fuit? Vt habet Reuerendus Admodum Pater Franciscus Luengo controuersia sexta in Regulam sect. 5. §. 4. præsertim num. 73. & nos postea ostendemus. Quomodo Leo Decimus Obseruantes veros & indubitatos Fratres Ordinis sancti Francisci, & eius Regulę Obseruatores, semper fuisse, sicque ab omnibus teneri, obseruari, ac dici debere decreuit & mandauit? Certum enim est eo tempore & multo ante Obseruantes fuisse vsos forma habitus quam etiamnum gerunt Obseruantes, vt de sancto Bernardino qui floruit anno 1416. testatur R. P. Sedulius, *vidisse se prope à Senis habitum quo indutus fuit sanctus Bernardinus eadem forma cum nostro, color similis &c.*

Imo idem Leo Decimus in septimo illo capitulo generalissimo, in quo facta est vnio, voluit omnes (etiam qui de caputio adhuc vocabantur, & apparenter acuminatum resumpserant & portabant) conuenire in eundem viuendi modum sub eodem habitu (qui sine dubio fuit noster) eisdemque legibus, vt habet Gonzaga 5 i parte chron. de septimo generalissimo Capitulo, titulo de generalis ministeriatus & sigillorum translatione à Conuentualibus ad Obseruantes folio 29.

Si itaque habitus forma quam habent Capucini sit essentialis (vt vult Bouerius) in Regula pręscripta & præcepta, potueruntne veri Obseruatores Regulæ declarari, qui in tam essentiali puncto, & tanti momenti, vti Bouerius illud ponderat, à Regulæ pręscripto tam manifestè deficiebant, *& in tales violati habitus anfractus iam inciderant*, & manebant; Imo (Pontifice Iulio Vndecimo ratificante) Fratres Prouincię sancti Euangelij siue de Caputio ad communem habitum Ordinis reduxerant? ita enim expresse refert. R. P. Carolus Rapinçus in historia generali originis & progressus Fratrum Minorum Recollectorum decade 3. num. 4. & tomo 4. chron. Ordinis libro 1. cap. 5.

Nescio quid hic responderi possit; nisi vel admittatur nullam certam formam habitus pręscriptam esse in Regula (vt ex Pontificia declaratione sustinemus) vel quod totus Ordo,

tot sancti, cum summis Pontificibus aberrauerint à vero sensu, & intellectu Regulæ, idque inuincibiliter, & inculpabiliter (vt suppono saltem Bouerium admissurum) sic vt materialiter fuerint Regulę suę transgressores, tanquam destituti Spiritu sancti Francisci, cuius mentem non sunt assecuti quoad habitum. Si hoc dicere aliquis ausus fuerit; dicam ego eo ipso etiam crassam & culpabilem ignorantiam admittendam esse tam in Ordine quam Pontificibus. Quandoquidem enim secundum Bouerium; res sit tanti momenti, cúque tam manifestæ sint picturę & imagines, pręsertim in Italia, vbi res illę agebantur; vbi etiam asseruantur habitus illi tam sancti Francisci, quam sociorum, quos in demonstratione sua quarta allegat Bouerius. Quomodo, suppositis principijs Bouerij quod sanctus Franciscus suo exemplo indicauerit, quid circa habitus formam pręcipere voluerit, in re tam manifesta inuincibiliter & absque culpa hallucinari & ignorare potuerunt? præsertim cum tam diuersi zelatores emerserint, & notanter fratres illi de caputio circa annum 1502. qui veram habitus formam, quam sanctus Franciscus portauerat, gestare volebat; qui tamen ab Ordine & Pontificibus coacti sunt illam dimittere & formę in Ordine vsitatę se conformare, Vt ex antedictis patet. Non potuit ergo esse ignorania huius rei, prę sertim inculpata, vbi tot suggerebantur rationes dubitandi, & veritatem inquirendi. Restat igitur vel fuisse ignorantiam & inobseruantiam culpabilem istius partis Regulę, quam Clemens Quintus determinat esse obligatoriam, vel nullam in Regula formam habitus præcipi, adeoque seruata forma nostri habitus totam Regulam formaliter & materialiter perfectè obseruari, quod declarauit Leo X.

Quia verò Bouerius pro tam absurdo habet demonstratione prima num. 15. & 20. quod sanctus Franciscus nullam suo Ordini habitus formam, instar aliorum fundatorum pręscripsisset, obsecrat citato num. 20. nostrę assertionis Auctores, *vt non solum sibi ab errore verum multo magis à Beati Patri nostri Francisci contumelia caueant*. Certè ipsius Lectores monendi sunt, ne talibus verbis nimium deferant et decipiantur. Nemo enim nostrum cogitat vel dicit sanctum Franciscum nullam habitus formam pręscripsisse, imo præscripsit

tunicam

tunicam cum caputio & aliam sine caputio permittit: verum an illud acuminatum, rotundum, vel quadratum esse debeat, cuius formę ac figurę non determinauit; sed hoc suis successoribus & Ordini determinandum reliquit tanquam rem minoris momenti, vnde minimum dependet, sicut Christus Dominus in Ecclesia sua aliquas materias & formas sacramentorum (quæ tamen maioris sunt momenti & dignitatis) ita instituit vt maximam in ijs determinandis amplitudinem reliquerit Ecclesiæ; v. g. in sacramento Ordinis seu Ordinationis instrumenta & verba quibus potestas tradita sufficienter exprimeretur. In matrimonio contractum legitimum cuius solemnitates & conditiones etiam essentiales Ecclesiæ determinationi & ordinationi subiecit.

QVAESTIO
Vigesima quinta.

Quænam censeri debeat forma Regularis habitus fratrum Minorum, & à quo forma, qua Obseruantes vtuntur, sit instituta?



IN omnibus præcedentibus questionibus concludo illam esse veram & Regularem, Ordinis Franciscani habitus formam, quam Superiores Ordinis secundum tot Pontificum declarationes determinauerint, ad eamque teneri omnes fratres Minores ex professione sua: nisi speciali sedis Apostolicę concessione aliud indulgeatur. Cum enim Regula vel fundator illius sanctus Pater noster Franciscus nihil determinauerit, sed determinationem secundum Pontificum declarationes Superioribus reliquerit, quibus ex Regula tenentur omnes fratres *obedire in omnibus quæ non sunt contra animam & Regulam nostram*; consequens est, vt in materia & forma habituum, quæ ad vniformitatem confratrum eiusdem Religionis, & distinctionem ab alijs Ordinibus plurimum conducit tamquam symbolum exterius, teneantur subditi stare iudicijs & mandato

Superiorum, quamdiu nihil statuunt manifestè contra animam, & Regulam.

Vnde consequenter infertur primos Capucini instituti fundatores vel sectatores, eorumque Annalistam Bouerium excedere in reprehensionibus formæ habitus, quæ legitimè erat in ordine determinata, recepta, & approbata, etiam diuersorum summorum Pontificum authoritate: dum eam vocat *corruptionem habitus, violati habitus anfractus, deformationis maculam &c.* Certum enim est (nec puto Bouerianum quemquam ausum fore contra mutire) illam esse formam habitus in qua Leo X. voluit omnes reformatos conuenire, quando eos omnes in vnum corpus Ordinis adunauit. Certum quoque est eam formam habitus præscriptam in statutis generalibus & Papalibus sub Iulio XI.ordinatis & approbatis, quæ habentur 3.parte firmamenti trium Ordinum, vbi capituli secundi septima particula, (quæ est de qualitate et vilitate vestimentorum & modo dormiendi) hæc habentur: *Ad maiorem autem vniformitatem inter nos conseruandam, ordinamus quod latitudo caputij nostri habitus non transeat à lateribus iuncturam humerorum vltra vnum vel duos digitos: & quod longitudo ipsius caputij in capite existentis à parte superiori cingulum non excedat, nec à parte anteriori oculos tegat.* Facta sunt autem hęc statuta in Capitulo Generalissimo anno 1508. pro totius Ordinis reformatione vnione & concordia, ac ipsius reformationis manutentione & augmentatione, pro vt habetur in conclusione eorumdem statutorum. Similia habentur in statutis sub Martino V. antea anno 1430. factis cap.2. *Caputium vero tali modo fiat quod existens in capite, extremitas per longitudinem duorum digitorum cingulum non excedat, nec per longitudinem duorum digitorum supra cingulum debeat remanere; cui longitudini responderet proportionabiliter latitudo, siue caputij quantitas.* Quo tempore Bouerius fatetur iam nostram caputij formam incepisse. Vide demonstrationem 9 n.20.& 23.

Sed vlterius ad propositum nostrum annotari meretur, quod ista statuta, & omnia pręcedentia de capitulo in capitulum originem traxerint ex statutis à D. Bonauentura conditis in Capitulo Narbonensi, quę sæpissimè in terminis renouata & ratificata sunt, ac denuo mandata; vt patet ex confessione ipsiusmet Bouerij, qui demonstratione 8. num.4. dicit constitutiones

tiones Gulielmi Farinerij confirmatas fuisse sub Martino V. in statutis ante citatis, vbi citato capite 2. renouantur & approbantur. Quo eodem loco pręmiserat Gulielmum Farinerium in Capitulo Perpinianensi anno 1354. (Lucas Vvadingus ad illum annum, & Memoriale Ordinis dicunt in Capitulo Assisiensi) refricasse eadem sancti Bonauenturę statuta & denuo publicasse. Idem factum est sub alijs Generalibus in diuersis Capitulis Generalibus vt narrat Lucas Vvaddingus ad illum annum num. 11.

Ex quo infertur non adeo infundatam esse sententiam præfati R. Admodum P. Lucę Vvaddingi ad annum Christi 1260. num. 17. (quantumuis resistat & exsibilet eam Bouerius demonst. 9. vsque ad numerum 9.) qui ex Petro Galesino in vita sancti Bonauenturę; Raphaele Volaterrano, Alphonso Ciaconio, Hyeronimo Cortesio, Ioanne Marquez, docet D. Bonauenturam in Capitulo Narbonensi caputij formam mutasse propter irreligiosum plurium incedendi modum more pastoritio; qui, præter caputium amplum nimis, superinduebant pileos vel almutia ad capitis tegumentum: *vt ergo habitum* (inquit ille author) *à pastoritio religiosiori specie distingueret, & commodius daret capitis fomentum, rotundum adiecit cooperimentum, demisso ad scapulas antiquo acumine, & ad pectus parte orbiculari*. Si quidem constat (vel ipso Bouerio teste supra num. 12. & 13.) sanctum Bonauenturam in illo capitulo statuisse vt *caputia longitudine cingulum non excederent*. Quam constitutionem ibidem fatetur sub Guilielmo Farinerio adeoque sub Martino V. renouatam fuisse, pro vt in alijs Capitulis antecedentibus & consequentibus; Atqui sub Martino V. sensus statutorum fuit de forma caputij, nam prodita sunt illa post sancti Bernardini accessum ad Obseruantes: quem constat caputium rotundum eiusdem cum nostro formæ portasse ex antedictis: venit enim sanctus Bernardinus ad Ordinem anno 1416. vel potius tunc in eo floruit. Quod euidentius est de statutis sub Iulio II. ergo signum est sanctum Bonauenturam eandem habitus formam statuisse, quam ordinant illa Capitula, in quibus refricata & renouata sunt statuta à S. Bonauentura ordinata.

Contra quam opinionem non adeo validè pugnant quam Bouerius existimat, tot quadrata Fratrum caputia, tot depi-

ctæ illorum imagines, qui longè post S.Bonauenturam in Ordine floruerunt, vt ipse ait. Nam præterquam quod de quadratura minima nobis sit quæstio, qui principaliter hic volumus sanctum Bonauenturam partem illam orbicularem ante pectus (quam Bouerius lunulam appellat) & pyramidalem in dorso (quam vocat scapulare) caputio adiunxisse: Insuper horum pugnatorum ictus præuiderat & contra illorum acumina se munierat Vvaddingus vt minus ferirent; Ad annum enim Christi 1260. subiungit num. 17. *verum est non vbique statim introductam hanc vestis formam, neque omnes eam admisisse, sed plures* originariæ vestis tenaciores *acuminato semper caputio incessisse vt patet in coelaturis imaginum post Bonauenturæ obitum effictarum; nec non in habitibus quorumdam piorum virorum eodem posteriorum, adhuc præ veneratione seruatis*. Siquidem non tanta cura fuit religiosissimo & pijssimo Generali de forma vestis, modo Fratres religiosè viuerent & non irreligiosè vestirentur, vnde veresimile est, ipsum non ita omnes vrsisse ad istam habitus mutationem.

Minus pro Bouerio, sed pro nobis pugnant potius constitutiones D.Bonauenturæ in comitijs Narbonēsibus editæ, à Guilielmo Farinerio post nonaginta annos refricatę: licet enim nihil in quadrata caputij forma mutatum esse indicent Reu. Patri Bouerio: nobis tamen id insinuare videntur: præsertim si considerentur, vt etiam sub Martino V. & Iulio II. renouatæ & refricatæ sunt ijsdem pene verbis; quorum temporibus certum est nostri habitus formam fuisse in vsu. Et sanè si consideretur forma illa caputij in imagine, quæ habetur demonstratione 9. inter num. 12. & 13. qua Bouerius conatur formam caputij iuxta sancti Bonauenturæ & Guilielmi Farinerij constitutionem explicare, illa in primis per se incredibilis, cum non videatur caputium cum adeo longa & graui cauda potuisse hęrere in capite alicuius Religiosi, supposita sufficienti circa collum latitudine, quia ipsum pondus à capite illud abstraxisset. Insuper inutilis illa caudæ longitudo non videtur à S.Bonauentura præscribi aut admitti potuisse.

Ne autem idem nobis obijciat, quo ad partem illam orbicularem ante pectus, & pyramidalem ad scapulas dependentem, dicimus illam esse formam cucullæ, quam Petrus Galesinius Prothonotarius Apostolicus dicit sanctum Bonauen-

turam

turam addidisse cap.9. vitæ eius ad Sixtum V. Pontificem conscriptæ. Porro quod Bouerius ista demonstratione num.5, dicat planè ignotum sibi esse quid Petrus Galesinius per cucullam indicare voluerit, id discere potuisset & debuisset ex vita sancti Bernardini Senensis cap.19. cui à quodam suo consanguineo improperatum fuit *quod esset cucullatus monachus* in signum quod caputium illud quo Bernardinus tanquam verus Obseruans vtebatur, cuculla tam intra quam extra Ordinem vocaretur; prout etiam nunc alij Religiosi caputium suum, quod ab Obseruantium caputijs in forma non multum differt cucullam appellant.


Aliud Bouerij argumentum, quod habet demonst.3.num.9. & 10. & dicit *non satis effugere eos qui caputij appellatione ipsum quoque scapulare aut lunulam contineri volunt: ita vt ijs lunula & scapulare nihil aliud sit quam caputium vtrumque complectens: ea enim, cum neque communis, neque genuina vocis interpretatio sit, commentitia potius & ad fugam aptata esse videtur &c.* Soluit abundè Reuerendus Pater Franciscus Luengo in cap.2. Regulæ controuersia 6.sect.1. num.21. dicens eam esse communem vocis istius interpretationem in omnibus capitulis Ordinis vt clarè patet ex constitutionibus Martini V. & primis Barchinonensibus anno 1451. à Nicolao V. approbatis & in statutis Iulij II. anno 1508. cap.2. particula 7. simili verborum tenore refricatis, vbi expresse statuitur, *quod latitudo caputij non transeat à lateribus conum iunctura humerorum, & quod longitudo ipsius caputij à parte posteriori cingulum non excedat*. Vbi manifestè constat sic accipi caputium vt scapulare includat. Et ne ex solis nostris monumentis interpraetationem nominis indagemus, Regula PP.Minimorum cap.3. habet: *illorum*, scilicet Fratrum Professorum, *etiam caputium ante ac retro vsque ad medium femoris vel circa protendatur*. Et ibidem: *Nouitiorum caputium vsque ac cingulum dumtaxat (ita quod cingi non valeat) protendatur*. Item statuta Carmelitarum strictioris Obseruantię facta in Capitulo Generali Romæ anno 1645. & ab Innocentio X. confirmata cap.9. n.3. habent hæc verba: *caputiorum aperturæ sint satis latæ & profundæ, quorum latitudo capiat scapulas paulo supra futuram manicarum superioris tunicæ, descendendo versus pectus habeant sex vel septem pollices, pro maiori vel minori statura Fratrum;* à

posteriori parte in occipitio non sint acuminata, desinant vero in modicam pyramidem, descendantque paulò infra zonam circa renes. Similia ferè habentur ad verbum in statutis Carmelitarum antiquæ Obseruantiæ impressis anno 1641. & ab Vrbano VIII. confirmatis capite 15.

En Bouerio interpretationem vocis caputium, ante ipsius & etiam Patrum Capucinorum tempora in Ordine nostro vsu receptam, adeoque *non nouam*, commentitiam, & ad fugam aptatam, verum etiam in alijs Ordinibus antiquitus & hoc tempore vsitatam.

QVAESTIO
Vigesima Sexta.

An Regula Fratrum Minorum præscribat caputium pyramidale vel quadratum.



ALIOS Authores à Reuerendo P. Vvaddingo pro mutatione formæ caputij à sancto Bonauentura facta citatos dicit Bouerius demonstratione 9. nu. 7. toto Cœlo aberrare (sic facile soluit argumentum ab illorum authoritate petitum) eam enim illos ex Pisani verbis hausisse dicit, qui in capitulo Narbonensi nonnihil in Minorum habitu à sancto Bonauentura statutum fuisse affirmat: ex quo vult illos malè colligere quadratam caputij formam fuisse immutatam; cum sanctus Bonauentura quadrato caputio potius terminum statuerit ne vlterius in peius dilaberetur. Quasi vero caputium in capite existens & vsque ad cingulum dependens quadratum censeri debeat, & non potius ad restituendam quadraturam (quam Bouerius vult esse formam essentialem) non debuisset nimia illa cauda decurtari, vt sic seruaretur forma à Beato Francisco instituta. Et sanctus Bonauentura & alij Generales illum secuti non tam reformationem instituisse quam maximam relaxationem fouisse censendi forent: nam forma in illis statutis iuxta Bouerij mentem ordinata & imagine delineata ab ipso, abijt quam longissimè a

vera quadratura, Capucini verò notabiliter plus ab ea per excessum recedunt, quam Obseruantes per defectum: si enim ab vno eorum caputio tollatur id, quod tegumento capitis & quadraturæ supefluit, facile quinque vel sex Obseruantium; per illud ad perfectam quadraturam & misteriosum (si Dio placet) acumen reducentur. Verum quid opus est has nugas disputare? Cum certum sit de forma caputij quadrata aut rotunda minimam curam fuisse sancto Francisco, vtpote quę nihil facit ad internam vel etiam externam religionęm, putoque Patres nostros, cum rotundam figuram assumpserunt paupertati consuluisse, vt superfluitati pannorum parcerent: quando quidem acumen ad capitis tegumentum prorsus sit inutile.

Insistit nihilominus P. Bouerius formę suæ pyramidali nec tantum pro ea pugnat, sed oppugnat contentiosè formam habitus Obseruantium, non contentus in illum finem instruere aciem multiplicium imaginum & figurarum, vt pro figura sibi simili pugnent, sed insuper tam copiosam (vt ipse loquitur) *estimoniorum aciem seu apparitionem* adducere se posse profitetur, vt omnem propemodum numerum excederent. Demonstratione quarta num. 97. hoc tantum ibidem verissimè dicit quod & acceptamus; *In hoc testimoniorum genere non tam certam & irrefragabilem demonstrationem censeri collocatam*, quin sanctus Franciscus, sanctus Antonius, & alij Sancti, & Beati Ordinis, qui innumerabiliter (vt ipse vult) *sub Capucinorum habitu apparuerunt, ijdem quoque non semel in Minorum Conuentualium & Obseruantium habitu apparuerint. Præsertim cum apparitiones & miracula non incerti ac determinati habitus attestationem; sed ad fidei potius, qua sanctus Franciscus & Sancti Ordinis à fidelibus inuocantur, approbationem fiant: si enim in ea habitus forma fidelibus interdum apparent, in qua ab ijs animo ac pietate concipiuntur. Quo fit vt hoc argumenti genus ad veram caputij formam comprobandum minus certum ac necessarium esse soleat. Attamen cum ad diuinam habitus seu caputij approbationem fiunt, haud vlli dubium esse potest quin ex ijs certa ac necessaria fides exoriatur*. Hoc totum Bouerij assumptum concedo; atqui extant vel pauca huiusmodi cœlestium apparitionum exempla in illum finem facta, quę Bouerio potius indicare quam enarrare lubet: nego subsumptum. Ex omnibus enim vna vel altera, quæ enarratur facta Mat-

thęo de Bassio & Fr. Francisco de Cartoceto apparenter tantùm ad propositum facit. At reuera non irrefragabile, sed valde fragile intentæ demonstrationi argumentum subministrat; licet enim ad annùm 1524. dicatur sanctus Franciscus in habitu Capucinorum Matthęo de Bassio apparuisse, idemque Matthæus postea audiuisse referatur vocem e cœlo se ita alloquentem: *Matthæe hæc est voluntas Dei vt Regulam perfectè obserues ad litteram, ad litteram, ad litteram:* Cum illa vox nihil noui significauerit supra id, ad quod omnes Regulę professores scimùs nos esse obligatos; quæstio meritò mouetur vbi illam litteram in Regula legerit Matthæus vel Bouerius, quæ ad pyramidalis caputij formam fratres Minores obliget. Talem litteram, hactenus nec vidimus nec audiuimus; imo ex ipso facto Matthæi de Bassio (quod refert Bouerius ad annum Christi 1537. n. 10.) contrarium non obscurè colligitur; siquidem iste *vir bonus & sanctus* Ordinem Capucinorum cum pyramidali illorum caputio deseruit, *satiusque existimauit animas Christi sanguine redemptas orco ereptas ad cœlum ducere, quam caput quadrato caputio obtegere. Quare caputij acumine ad medium vsque palmum sibi non absque lachrymis amputato, Clementis VII facultate sibi concessa*, scilicet vt sub Obedientia Ordinis Obseruantium, extra tamen conuentus, manere posset, & ad prędicandum excurrere, vti maluit, quam *prædicationis opem ac subsidium egentibus denegare*. Quid illas lachrymas extorserit, non dicit Bouerius, credo, quod velit omnes supponere violationem tam sacræ figuræ eas extorsisse; sed ego potius crediderim turbas ex tantillæ rei nimis acri inuectione exortas, lachrymis dedisse causam.

Quod verò non ita irrefragabile argumentum subministret releuatio quam illi & Francisco à Cartoceto factam narrat Bouerius; irrefragabili (meo iudicio) argumento conuincitur. Quilibet tenetur ad habitus formam quam ex diuina reuelatione constat esse obligatoriam vi Regulæ quam professus est; atqui Matthęus non putauit se obligari ad illam formam habitus quam deposuit (Bouerio teste supra numero 55.) nulla legitima causa se offerente, ergo nullam de hac re Matthæus agnouit reuelationem. Frustra autem Bouerius ad excusationem huius actus in omnem partem se torquet, nunc hanc, nunc illam causam prætexens; quas tandem omnes sup-

ponit,

ponis; seruata forma habitus, & obedientia ad Ordinem Capucinorum saluari potuisse, vnde finaliter suo more ad arcanũ Dei consilium ac prouidentiam recurrit; quo disponente accidisse credit; *quod Religione iam orta ac longius propagata, is Religionis caputium, cuius olim instaurator, ac quodammodo Anthor exstiterat, zelo haud damnando deponeret: ne pariter & Religioni Auctor censeretur*. Graue certè incommodum, quod is qui istius Religionis fundamenta iecerat, eiusdem Auctor haberetur; vt debuerit Regulæ suæ transgressor fieri, deserendo habitum sibi à Deo reuelatum, ne tam pernitioso errore mundus laboraret.

At reliquum quid salutis inuenit Bouerius: nam licet caputij acumen obtruncauerit; *haud tamen rotundo caputio, aut scapulari sine lunula (quæ Minoribus de Obseruantia nuncupatis communis est) post hæc vmquam vsus fuit, ex quo Obseruantium alumnus haberi posset; quamquam erga Minorum Obseruantium Ordinem, subiectionem profiteretur sed longiori caputio (etsi non acuminato) tunicæ adsuto, habitum, perpetuo gestauit*. Ecce vna salus miseris non gestare rotundum caputium, & ab habitu separatum, quod iste Annalista ad essentialem formam pertinere contendit.

QVAESTIO Vigesima Septima.

An ex Regula Fratrum Minorum caputium debeat esse assutum tunicæ?



VM de figura ac forma caputij sat superque disseruerimus, & (vt puto) sufficienter ostenderimus nullam vel apparenter in sancta nostra Regula esse sub obligatione præscriptam: restat examinandus nodus, quo vult Bouerius ligari huius regulę professores, ad portandum caputium cum tunica consutum. Examinandus dico, non soluendus: non enim venimus Regulam, vel eius obligationem soluere, sed adimplere, neque puto vllum in

obseruanda ista vnione caputij cum tunica facturum difficultatem; cum res in se sit facillima, supposito quod de mente legislatoris sufficienter constiterit.

De hac autem vnione supponimus cum maiori apparentia ex ipsis Regulæ verbis moueri quæstionem: ac proinde non tantum Patres Capucinos; sed etiam aliquos alios Auctores docuisse fratres Minores obligari ad portandum caputium assutum; saltem sub veniali; vt patet apud Reuerendum Patrem Franciscum Luengo in cap. secundum Regulæ controuersia 5. sect. 1. §. 1. in qua cum hoc Auctore, & pluribus, quos citat num. 11. resoluendum puto, nullam esse etiam quoad istud punctum Regulæ obligationem. Quia tamen sanctus Franciscus, cum primis suis socijs gestauit habitum cum assuto caputio; & de sensu verborum Regulæ dubitari potest, bene dicit idem Auctor laudabilem & sanctam esse consuetudinem Ordinis ab initio caputium assutum deferendi, quę indicatur anno 1470. adhuc durasse, dum Obseruantia esset in flore: in Capitulo enim generali Palencuelensi, eo anno celebrato ordinatum est: vt *de cætero in omnibus Prouincijs habitus Nouiticrum patenter sit distinctus ab habitu Professorum, ita vt disitura caputij non sufficiat; sed oportet portare caparonem iuxta* Regulam, *vel aliam petiam panni ante pectus, nisi &c.* Ex quibus verbis patet formam caputij moderni tunc in vsu fuisse; nam inter caputium Capucinorum, & dissutum, quod dant Nouitijs est satis patens differentia: quam non habuisse Obseruantes inde constat, quod dicant non sufficere differentiam assuturę, quæ erat in habitu Professorum, & non in habitu Nouitiorum: sed quia illa non satis patebat oculis hominum, voluerunt maiorem poni distinctionem, per caparonem scilicet, vel petiam panni, in habitu Nouitiorum.

Insinuat nihilominus frater Matthęus de Bassio in sua ad Pontificem Clementem supplica non omnes eo tempore caputium assutum portasse, sicut & modo non omnes Prouinciæ assutum portant caputium, munditiæ (vt credo) & paupertati consulentes; cum enim plerisque in locis ex rationabili necessitate duę tunicę à Regula concessę ferè ab omnibus deferantur: adeoque sæpe contingat solum superioris tunicę caputium sudoribus infici, ne semper sit necessarium pro so-

lius

lius caputij lotione & emundatione totum habitum mutari, congruum iudicatur illud à tunica separatum gestare, cum ad asuturam Regula non putetur obligare.

Et ob hoc fortasse inter cœteros *violati habitus anfractus* dissituram illam caputij connumerat Bouerius; conaturque ostendere inter alia etiam in hoc puncto Regulam fuisse violatam. Supponens adeo clarum esse ex verbis Regulę professos ad portandum habitum asutum obligari, vt probatione non indigeat. Verba Regulæ sunt: *Et illi qui promiserunt obedientiam habeant vnam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio qui voluerint habere*. Vbi *tunicam sine caputio*, dicit esse eam quę nullum sibi caputium habet asutum, & *cum caputio* eam quæ asutum habet.

Id tamen confirmat ex distinctione habitus Nouitiorum ab habitu Professorum: dicitur enim in Regula: *concedant eis* (scilicet Nouitijs) *pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio & cingulum & braccas & caparonem vsque ad cingulum*. Vbi in hoc habitus Nouitiorum ab habitu Professorum distinguitur, quod Nouitij habeant vtramque tunicam sine caputio, Professi vnam cum caputio; quę distinctio non subsistit, supposito quod caputium Professorum non sit asutum: nam vel vtraque eorum tunica est sine caputio (cum neutra illud annexum habeat) vel vtraque est cum ea: cum vtrique tunicæ superinduatur. Quibus accedit, quód disuti caputij nulla videatur esse distinctio à caparone.

Respondeo ad argumentum, incipiendo ab eius confirmatione, semper inter Obseruantes ordinatum & obseruatum fuisse, vt habitus Nouitiorum patenter distingueretur ab habitu Professorum, vt patet ex statutis iam citatis, & ab omnibus consequentibus, ac praxi totius Ordinis. quod vero Bouerius dicat *esse ridiculum* demonstratione tertia num. 8. *caparonis nomine exiguam illam panni particulam, quæ scapulari ab ijs apponi solet, intelligendam esse: præsertim cum ex Regulæ præscripto caparo vsque ad cingulum fluere debeat*. Non immeritò Reuerendus Pater Franciscus Luengo loco supra citato §. 2. aliqualis immodestiæ arguit; cum nos fratres Minores debeamus ex Regulæ capit. 3. esse modesti, omnibus & de omnibus honestè loqui sicut decet: quia in verbis istis, quę non ita determinatam formam vestis significant, vt

 sunt

sunt caputium, cuculla vel cucullus, caparo, & similia. Oportet deferre vsurpationi congregationum, Ordinum, & similium communitatum: nec facile ridiculum æstimari debet, quod apud communitates vsu receptum est. In Capitulo autem sexto Generalissimo celebrato sub Iulio Secundo anno 1508. quindecim vel sexdecim annis ante ortum Capucinorum cap. 2. particula 1. circa finem dicitur, *probationis caputium Nouitijs imponatur, hoc est, caputium dissutum, siue separatum à tunica habens ante caparonem siue panni petiam appensam latitudinis saltem quatuor vel quinque digitorum*: Vnde consequens est, non debere videri tam ridiculum illud intelligi nomine caparonis quod a generalissimo capitulo, tot viris doctis & probatis constante, assistente Cardinali Protectore, ipsoque Pontifice confirmante, sub eo nomine intelligitur; & in quo consequenter Nouitiorum caputium à Professorum caputio, quod illam petiam annexam non habet, distinguitur.

Quod dicitur vtramque Professorum tunicam esse sine caputio dissuto, vel vtramque cum eo esse, quod vtrique superinduitur, negatur: preterquam enim quod soleat caputium cum exteriori tunica in panno correspondere, & super illud immediatè induatur; insuper illis verbis indicatur, ad distinctionem habitus nostri ab habitibus aliorum Ordinum, quod vnum nobis solum concedatur caputium exteriori habitui superinduendum, cum alij Ordines vel simul duobus caputijs induantur, quolibet super qualibet tunica, vel saltem pro qualibet tunica, quam separatim induunt, habeant caputium in colore correspondens; ita vt illud *cum* non tam significet connectionem inter tunicam & caputium, sed inter haberè tunicam & habere caputium, vt sensus sit: possint & debeant cum priori tunica habere caputium; qui vero aliam habere voluerint; possint quidem; sed sine caputio. Ita vt prohibeatur isto passu Regulę, fratri Minori habere duo caputia, siue assuta, siue non; quod alioquin non prohiberetur, si tunica sine caputio censenda sit quæ illud assutum non habet: posset enim habere quis vnicam tunicam cum assuto caputio, & plura caputia pro commoditate; quod non putamus à sancto Francisco permissum.

Nec adeo clarum est, vt vult Bonerius, *tunicam sine capu-*

tio esse eam quę illud annexum non habet, & *cum caputio* eam quæ illud habet assutum, quasi particula *cum* importet assuturam: nam certum est illam particulam talem connectionem non semper importare, etiam vbi de habitu est sermo: siquidem eadem regula eodem loco dicit concedendas Nouitijs duas tunicas cum cingulo & braccis, quas tamen nemo intelligi sibi mutuo esse debere consutas, &, vt notauit præfatus R.P. Luengo, in rubrica 19. Missalis Romani num. 7. de qualitate paramentorum dicitur quod *in minoribus Ecclesijs diebus ieiuniorum alba tantum amicti ministrant, Subdiaconus cum manipulo Diaconus etiam cum stola*, quę nemo imaginatur albæ debere esse assuta. Neque etiam adeo certum est ex D. Bonauentura, quàm putat Bouerius demonstratione 5. num. 9. per tunicam cum capatio intelligendam esse eam quę caputium consutum habet, ex eo quod D. Bonauentura in cap. 2. Regulæ dicat: *Professi habeant vnam tunicam cum caputio*, in quo habitus intelligitur, quasi habitus esse non possit, nisi caputio vnitus; vt Bouerius loquitur: cum quotidie dicantur sæculares sibi vnum habitum conficere ex caligis, braccis, thoraci, quę non debent inter se vniri; sed in corpore conficiunt vnam vestem & habentur pro vno totali indumento.

Ex quo exemplo patet Bouerium & aliquos alios nimis scrupulosè particulam illam coniunctiuam explicare quasi importaret connectionem per assuturam: qui enim alicui promitteret habitum vnum cum chlamyde, & alterum sine ea, absque assutura chlamydis satisfaceret; & credo satisfactum iri illis, cui bursa cum pecunia promissa foret etiamsi pecunia extra Bursam, simul tamen cum ea traderetur.

†



QVAESTIO Vigesima octaua.

Quali corda Fratres Minores vti debeant?

PIGERET vel cogitare huiusmodi minutias, nedum prosequi, nisi natura speculi (quod suscepi conficiendum) exigeret illa ad intuentium oculos reflectendo reuerberare, quæ illi opponuntur, siue magna illa sint, siue parua, pulchra vel deformia, seria vel ludrica: Cum ergo Bouerius de his ita seriò tractet, ac si in ijs vigor & decor Ordinis, atque conscientię nitor consisteret: cogor insipiens fieri, vt etiam circa ista veritatem inquiram & talia mouentibus satisfaciam.

Imponit pręfatus Bouerius finem primo suo volumini per quędam, inquit, memoranda, inter quæ primo loco ponit, quod Demon cuidam Clerico Ordinis Capucinorum Laurentio Cauensi obiecerit inter alia in extremo vitę halitu, quod non legitimo Minoritani Ordinis cingulo, sed prorsus degeneri pręcingeretur, nimirum fune ex pilis contexto, quem Beatus Pater ac Ordo ab initio ignorauit: primum enim Ordinis cingulum ex canabacco fune compactum vult Bouerius; dicitque Ordinem hoc asserere: atque ideo ęgrotantem se ab hac accusatione non potuisse alia ratione expurgare, quam confugiendo ad mandatum Guardiani quo compulsus erat cingulum illud assumere: Prouincialemque Prouincię Neapolitanę hoc exemplo permotum sanxisse, ne istius Prouinciæ Fratres alio deinceps quam cannabacco fune vterentur; ipse verò Bouerius magnificè concludit. [Discant igitur qui legitimi beati Patris Francisci habitus cultores haberi volunt, vel Dęmone Doctore, quam à nouo & insolito hoc funis genere cauendum sit. Cum enim canabaccus funis, vtpote vilissimus atque à beato Francisco institutus ad veram Minoritani habitus formam spectet: qui laneum, aut pilis

e quinis, aut caprinis contextum sibi adsciscunt, non parum à Beati Francisci institutione exorbitant: qui vt D. Bonauentura scribit, communem funem gestauit, quo sacci ligare solent; nimirum canabaccum, vt cinguli vilitas, habitus vilitatem sequeretur.] Ita solet Auctor ille quęlibet, quantumcumque parua exaggerare, quasi nescio quid ab ijs dependeret.

Non ignoro lectionem Ecclesiastici cap. 19. vers. primo, *qui spernit modica, paulatim decidit*, nihilque tanquam paruum negligi debere quod ad spiritualem profectum proficere vel officere posset ab ijs qui volunt serio vitæ spirituali intendere: nam Christo Doctore, *qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*; vnde cum isto omnium magistro curandum censeo, vt *donec transeat cœlum & terra iota vnum aut vnus apex non præterent à lege donec omnia fiant*. Et cum beato Patre Nostro Francisco perfectissimo Christi discipulo & imitatore, vt *Euangelicum nec apicem, vel vnicum transgrediamur nec iota*.

Verumtamen non tam legitimi habitus huius Sancti Patris cultores censeri volumus, quam virtutum ipsius, nec dęmone Doctore, sed Deo vel Ministris eius discere cupimus, quæ sit voluntas eius bona & beneplacens & perfecta; quam non puto ex ista dæmonis tentatione ita certò colligi, vt mereatur tantopere ista doctrina inculcari & exaggerari. Quasi ita obligatorius sit funis canabaceus & a S. Francisco institutus tamquam ad veram Minoritani habitus formam spectans; vt qui funibus ex pilis vel etiam lana contextis vtuntur, *non parum à Beati Francisci institutione exorbitent*: nam etiam dato quod Regula ad tale cingulum obligaret, non video quomodo materia ista tanti momenti prudenter æstimari potuerit, vt circa illam tantum peccatum committatur, qua censeantur talem funem deferentes *non parum à Beati Francisci institutione exorbitare*.

Interim sacer Ordo noster Obseruantium à sancto Bonauentura Doctore instructus, quod B. P. N. Franciscus ad memoriam vinculorum Christi funem pro cingulo assumpserit; credensque illum fuisse communem seu canabaceum; semper prohibuit funes curiosos; decreuitque vt *cingulum habeatur*

corda

corda communis, & omnis curiositas abea penitus abscindatur, vt habetur in Generalibus constitutionibus à Martino V. confirmatis. Quibus additur in statutis Barchinonensibus in Capitulo Generali Toletano anno 1633. à Patribus Nationis Germanicæ & Belgicæ, recognitis à Capitulo præfato, & Sanctissimo Domino Vrbano VIII. confirmatis cap. 3. §. 10. n. 15. *pro cingulo habeant Fratres* cordam *ex canabe confectam*; quibus ordinationibus proculdubio omnes boni Religiosi accomodare se debent; præsertim ad vniformitatem seruandam. Verum condemnare illos qui cordas ex alia materia confectas gestauerint, vt Regulæ suæ transgressores excessiuum videtur: nam seclusa curiositate ac Superiorum prohibitione, possint etiam bene & sanctè portari cordæ crineæ, eeque magis rudes & incultæ quam canabaceæ, quo posito existimo etiam dæmones (quos videtur Bouerius ad annum 1580. num. 54. in principio & fine numeri in hac causa velle facere arbitros) tam crineis quam canabeceis cordis torquendos & afficiendos fore, licet eius contrarium ipse velit esse passim exploratum.

†



QVAESTIO

QVAESTIO Vigesima Nona.

An & quomodo liceat Fratribus Minoribus pallium gestare?

REVERENDVS Pater Bouerius ad annum Christi 1550. num.7. ex Reuerendo Patre Fratre Bernardino Astensi Vicario Generali Capucinorum viro Sancto & Docto, eoque magis Reuerendo, quò inter cæteros ab Obseruantia ad Capucinos transmigrantes, modestius erga antiquum suum Ordinem se gessit; docet licere Capucinis, & consequenter Obseruantibus (nam eadem eorum est ratio) gestare *pallium ex antiquo Ordinis vsu receptũ*, licet eius in Regula nulla fiat mentio, idque probat *ex legenda antiqua trium sociorum D. Francisci in qua traditur ipsum & eius socios pallio vsos fuisse: ex picturis antiquis; & pallio S. Patris quod Tiburi asseruatur*.

Addit Bouerius num.8. ex eodem Astensi pallium regulariter *tunc tantum licere quando vnius tunica locum supplet*: quia in præfata legenda non aliud refertur, quam Beatum Franciscum, eiusque socios solitos fuisse portare pallium cum habitu, sine tunica interiori: imo ibidem dicitur Christus Dominus apparuisse aliquando Beato Francisco, eique dixisse, se toto curriculo suæ vitæ contentum sola tunica tanquam leuem cursorem, cum ea pallium gestasse.

In hac quæstione multum tribuo authoritati tanti viri, qui magnus, prudens, atque etiam Sanctus fuit in Ordine nostro, sanctè Capucinos rexit &c. à cuius sententia, sicut non libenter recederem; ita me recedere non puto, si dicam imprimis habitum Regularem, id est, à Regula expressè ordinatum & institutum, & cuilibet indifferenter concessum, sine vlteriori Superiorum licentia consistere præcisè in duabus tunicis; vna sine, altera cum caputio. Cumque cæteris paribus perfectius Beati Patris Francisci paupertatem & exemplum quo ad habi-

habitum imitetur qui vna tunica cum caputio contentus est; laudabilius esse puto (vbi nihil aliud obstat) ad eiusdem sancti Patris & primorum sociorum exemplum cum vna sola tunica pallium deferre ad arcendum frigus, cæterasque aëris & auræ iniurias, quæ à sola tunica (vtpote etiam dormitioni deseruiente) vix ita propulsari possunt, vt sanitas corporis conseruetur; nam minus est in se habitum cum dimidiato panno (qualis est pallium, præsertim breue) gestare, quam habitum cum integra tunica, vt ait Bernardinus supra num. 9. estque idem conformius Regulæ, non quidem ad litteram; sed quoad mentem, explicate exemplo Legislatoris vt ibidem num. 55. habetur.

Nihilominus cum Sanctissimus Pater Noster in Regula sua cap. 4. committat Superioribus prouidere, Fratribus, etiam cum recursu ad pecuniam, seu per amicos spirituales *secundum loca & tempora & frigidas regiones*, & ab initio Ordinis in vsu fuerit generaliter omnibus mantellus; cum tamen certum sit aliquos, & paulatim plures, etiam secūdam tunicam voluisse habere, & habuisse, meritò supponitur communiter esse sufficientem rationem & permissionem cum duabus tunicis etiam pallium seu mantellum habendi; adeoque sustineo 5 non potuisse reprehendi Obseruantes à primis Capucinis: & nunc neminem vel Capucinorum aut Obseruantium debere esse scrupulosum simul cum duabus tunicis mantellum habere & portare; præsertim vbi aliqua rationabilis causa occurrit, verbi gratia, tempus frigidum, aura pluuiosa, vel mos patriæ, aut Religiosorum qui non solent sine mantellis inter homines comparere. Qui tamen modus minus mihi probandus videtur, maximè dum etiam in Conuentu aliqui sic pallia collo affixa tenent, quasi illa ad Regularem habitum pertinerent. Quod non est verum, cum & sanctus Bonauentura parte 5. speculi disciplinæ cap. 26. mantellum *amictus accessorÿ sarcinam* appellet.

Fuisse autem hanc Ordinis sacri consuetudinem receptam & approbatam, patet non solum ex statutis sub Iulio Secundo & Martino Quinto ordinatis, & ab illis Pontificibus approbatis; sed etiam ex statutis Narbonensibus à sancto Bonauentura compositis, & postmodum à Gulielmo Farinerio, viro grauissimo, sanctitate morum præcipuo restitutis, qui suo tempore

pore reformationi Ordinis insistens Bonauenturę constitutiones renouauit: & per totum Ordinem publicauit in quibus omnibus disertis verbis habetur: *mantellos quoque de panno vili & humili fratres habeant, non rugatos circa collum, vel crispos, nec vsque ad terram per integrum saltem palmum protensos; & in forma obseruetur modus antiquus & hactenus consuetus*. Quę constitutio in omnibus capitulis à tempore sancti Bonauenturæ vsque ad nostra tempora, iisdem ferè verbis acceptata, confirmata, & renouata fuit. Estque indubitatum à tempore sancti Bonauenturę promiscuè fratres duabus tunicis secundum Regulæ expressam concessionem fuisse vsos; vt colligitur manifestè ex speculo disciplinæ ad Nouitios parte 1. cap. 25. vbi dicitur *aptanda est vestis maximè circa collum, ne collum ipsum vsque ad pectus, vel interiores panni hominum adspectui exponantur*. Iisdem autem nouitijs, & consequenter professis concessum fuisse promiscuè pallium, patet ex cap. sequenti 26. vbi dicitur non congruere; *vt ad loca priuata, quasi mox gelicidio perituri, amictus accessorij sarcinam deferant*. Et clarius idem ostenditur in Regula nouitiorum, quę habetur Tomo 7 operum sancti Bonauenturæ, vbi cap. 3. ait Seraphicus Doctor: *Cum singula ad mentem reuocaueris* (loquitur de examine peccatorum in Ordine ad confessionē) *verecunda voce ad Sacerdotem, & deposito mantello genuflecte*.

Patet itaque ex antiquissima Ordinis totius praxi, à Sanctis & doctissimis viris probata, atque à Summis Pontificibus approbata, promiscuè vsum pallij fuisse omnibus permissum; sine restrictione ad vnius vel plurium tunicarum delationem.

Nec contra hoc aliquid vrget praxis sanctissimi Patris Nostri ac plerorumque sociorum eius, quos libenter admittimus vna tantum tunica, intus & foris repetiata, cum pallio fuisse contentos; quorum laudabilem zelum optamus omnes posse, & velle sequi; sed non licet inde inferre alios ad hoc teneri: siquidem plures quadragesimas vltra expressas in Regula ieiunarunt, nec tamen ideo eas ieiunandi præceptum reliquerunt.

Minus vrget apparitio Christi Domini, dicentis Beatissimo Patri nostro, se instar leuis cursoris vna tunica contentum cum ea pallium gestasse: nam expressè ibidem additur ab ipsomet Astensi: *Id tamen de exteriori tunica intelligendum est, tunicam*

inconsutilem intus sub ea gerebat, *de qua in Euangelio Ioannis* cap. 19. Quid ni ergo Fratri Minori ad imitationem Iesu Christi exemplaris omnis perfectionis, liceat cum duabus tunicis pallium portare? Nam gratis dicitur pallium loco vnius panni aut vestimenti haberi; cum ipsemet sanctissimus Pater Noster in testamento dicat: *Eramus contenti vna tunica intus & foris repetiata, & nolebamus plus habere*, idest, plures tunicas: ergo mantellum non computauit pro tunica vel semi-tunica, sed pro amictu accessorio vt sanctus Bonauentura loquitur.

QVAESTIO
Trigesima.

An barbam alere sit perfectius Christum imitari, quam eam radere vel tondere.



VOLVIT insuper Bouerius ad annum 1528. num. 15 (malè impresso 25.) suos hoc speculo barbatos apparere: *haud leuiter*, inquit, *perpendendum est, ex proprio Pontificis motu in bulla explicata* (loquitur de Bulla Clementis Septimi) *emersisse, quod noua huius reformationis soboles barbam deferat*. Quod mirum esse dicit, eo quod isto tempore & longè ante totus Obseruantium Ordo barbam radere consueuisset. Nec contentus, quod Pontifex id visus fuerit statuisse, vt eos ab Obseruantibus ampliori quadam differentia, scilicet longæ & amplę barbæ, discerneret (quasi eos acutum & strictum caputij acumen non satis distingueret) ac sub Conuentualibus (qui barbati incedebant) militare indicaret. Altius sub rationibus, quas Pontifex habuisse videbatur, *Dei consilium* latuisse imaginatur: *Cum enim* inquit, *Beatus Pater Franciscus Minorũ Ordinis Institutor, Christi Domini, cuius diligentissimus imitator fuit, & Apostolorum exemplo, barbam vsus fuerit, quem prima quoque illa Ordinis ætas secuta est: æquum sanè erat, vt qui antiquam habitus formam in orbem reuocare parabant, in barba quoque deferenda Beatum Patriarcham imitarentur, vt perfe-*

perfectam illius effigiem aliquando inter homines præse ferrent. An non merentur hic notari verba, signari misteria? In tantum [redacted] ef-figiem & imitationem cæteris paribus magi[redacted]dit, in quantum in deferenda barba plus assimilatur. Sequitur itaq; etiam in hoc Ordinem Obseruantium defecisse à suo Institutore, quod ab eius barba defecerit. Et ne hoc gratis tamquam ab ipso intentum, referre videar; attendatur quam seriò in sequentibus hoc argumentum prosequatur.

Num: itaque 16 probat Christum barbam detulisse testimonijs non solum sanctę Birgittę, Bonauenturæ, & aliorum Patrum; sed etiam sacrę Scripturæ, Isaię 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus*; velli siquidem genæ non poterant, nisi longam instar Capucinorum barbam detulisset: *vnde Imago Veronicæ data, & altera ad Abagarum missa, barbam referunt.* Itidem in Taurinensi syndone dominici corporis ac vultus imago cum barba diuina virtute effigiata cernitur. *Denique id omnium hominum, linguarum, Pictorum, ac totius orbis vox, ac testimonium eloquitur.* Ecce quam serio probatur Christum barbam detulisse. At quid inde consequens? Nimirum, quod qui Christi sectatores esse videri volunt, id imitari debeant: Ait enim: *Quod si apud omnes satrum & certum haberi debet; hoc ipsum de Apostolis negari vanissimum arbitror* (dicerem nisi viro defferem, vanissimum esse id tam serio affirmari) *Cum id in Christo Domino ac magistro haberent quod imitarentur.* Apparet ergo quod idcirco tam operosè probet Christum Dominum barbam aluisse, vt etiam in eo imitandum esse ostendat.

Id apertius euadit ex eo quod Bouerius manifestè doceat D. Franciscum Christum etiam in barbę delatione coluisse, imò & oportuisse imitari. *De B. Francisco*, ait num. 17. *id* [redacted]*nem frustra vocare, ac tenebris* [redacted]) *quos tamen ipsum Euangelicæ vitæ exemplar, quod sibi ille sequendum præscripserat, non obscurè redarguit; neque enim vir Euangelicus, qui tam perfectam Christi Domini imaginem consecutus est, vt ipsa quoque illius vulnera in carne sua referret, à barba abstinuisset, quam in Christo velut in prototypo præcessisse intelligeret.* Attendatur argumentum, Franciscus fuit vir E-

uangèlicus qui perfectam Christi imaginem consecutus est; ergo non abstinuit à barba, quæ in Christo præcesserat. In [redacted]. Ad solatium tamen eorum, & nostrum facit quod Christus. *Matth.* 11. dixerit: *Discite à me* (*non mundum fabricare*, inquit Augustinus *Serm.* 10. *de verbis Domini*. *Non cuncta visibilia & inuisibilia creare non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare, quod in omnium potestate non est*: vnde liceat mihi addere, non barbam deferre) *sed quià mitis sum & humilis corde*.

Constat Occidentalem Ecclesiam presertim Romanam barbam radere, vel saltem tondere consueuisse. *Concil. Chart.* 4. *&* 5. *an.* 381. *&* 398. eumque morem Clericis & Monachis etiam in preceptum transijsse, ita vt Photius schismaticus Episcopus Constantinopolitanus in epistola ad Nicolaum Papam hunc morem ei ausus fuerit exprobrare. *Leo X. Conc. Lat. ses.* 9. Orientalis vero Ecclesia e contra barbam nutriuit, eiusque ad cutem rasuram minimè probauit.

Cuique mori suum mysterium assignat Bouerius, vbi supra numero vigesimo longiorem quidem barbam (dummodo effeminatè non nutriatur aut discerniculo discriminetur) *Præter virilitatis indicium* quo *aduersus animi vitia & cupiditates pugnandum est*, *austeritatem atque asperitatem ab omni mollitie alienam* vult demonstrare; & exaggerat, quod in ea se Christi imitatores ostendant, qui eum intensa & inculta vsus fuerit, id imitari; *Non nisi virtutis signum, Religioni testimonim, deliciarum contemptus argumentum* (scilicet parua contemptum significat, magna & promissa augmentum) *Et cælestis ac perfectæ conuersationis exemplum esse potest, ijs præsertim, qui antiquas sui Patris ac Fundatoris institutione freti, ad perfectam ac integram ipsius normam seipsos componere, atque illius apprimè vestigijs inhærere optant*, [redacted]

In rasura vero barbæ duo paucis verbis mysteria agnoscit, videlicet quod olim maxim'e a luctus fuerit hieroglyphicum, idque proindè conueniens Monachis; deinde quod barbam radentes, per hoc sese superflua abijcere, & necessarijs se contentos esse profiteantur. Hanc professionem cum Ecclesia Ro-

mana acceptamus, tam in barbæ quam in superfluitatis caputij decurtatione, [redacted]

QVAESTIO
Trigesima prima.

An vnisonus Capucinorum psallendi modus sit præferendus cantui Patrum Obseruantium?

SICVT conatur Bouerius caputium acuminatum & assutum, ac funem canabaceum deducere à beato Francisco in Regula; barbam verò ab ipsomet Christo per Apostolos vsquè ad Franciscum deriuare: sic modum psallendi vnisonum & cantus expertem ad annum 1529. num. 78. vult primæuæ Ecclesię communem fuisse. Sed testimonia quę ad illius probationem defert contrarium pro Obseruantibus & vsu Sanctę Romanæ Ecclesię probant. Isidorus de officijs lib. 5. cap. 5. ait: *primitiua Ecclesia ita psallebat, vt modico flexu vocis faceret psallentem resonare, ita vt pronuncianti similior esset quam canenti.*

Eadem ferè verba sunt D. Augustini lib. 10. confess. cap. 33. qui etiam modicum vocis flexum in vsu fuisse dicit. Brigitta verò in suis reuelationibus, vt ipse citat, habet: *Cantus non sit remissus, non fractus, non dissolutus; sed honestus, & grauis & vniformis, & per omnia humilis.* Quid ex his pro suo vnisonu modo psallendi & omnis cantus expertè colligere possit, non video. Nam sancta Brigitta lib. Extrauagantium reuelationum capite mihi quarto (in antiqua impressione) refert Filium Dei de cantu à sororibus Ordinis à se instituti seruando, sic ad sese loquentem: *numquid non legisti quod Maria soror Moysi ob singulare Dei in mari rubro factum, egressa est cum Virginibus & mulieribus, psallens in tympanis & cymbalis canticum lætitiæ Deo? sic filiæ matris meæ egredientur de mari rubro, idest, à cupiditate & complacentia mundiali, haben-*

bentes in manibus operationum suarum tympana, idest, ab abstinentiam voluptatum carnalium, & cymbala laudis sonora. Et hic sequuntur verba a Bouerio citata, post quę subditur: *imitentur quę illorum cantum, qui Carthusienses obseruant, quorum psalmodia plus redolet suauitatem mentis, humilitatemque & deuotionem, quam aliquam ostentationem: nam non vacat culpa animus, quando cantantem plus delectat nota, quam res quæ canitur.* In quibus patet commendari non lectionem sine nota, sed cantum, quamuis abusum cauendum moneat.

Augustinus similiter citato libro decimo confess. cap. 33. postquam disputasset in vtramque partem de cantu, & magis probasset illum simpliciorem a Diuo Athanasio in Ecclesia Alexandrina institutum, subdit: *Verumtamen cum reminiscor lachrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordijs recuperatæ fidei meæ, & nunc ipso commoueor, non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce & conuenientissima modulatione cantantur, magnam instit uti huius vtilitatem rursum agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis: magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem* (scilicet illam, quam Mediolani viderat, & contra consuętudinem sancti Athanasij, in quam magis propenderat ante distinxerat) *approbare in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis assurgat.* Ecce sententiam sancti Augustini non contra cantum, sed pro eodem, vt proinde illum immeritò (sicut & antiquam Ecclesiæ consuetudinem) Bouerius pro suo modo vniformi psallendi citet.

Similia habet Augustinus lib. 9. cap. 6. in fine; *nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij tui, super salutem generis humani, quantum fleui in hymnis & canticis tuis, suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter, voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & exæstuabat inde affectus pietatis, & bene mihi erat cum eis.* Sequenti verò cap. 7 subiungit qua occasione præfatus modus canendi inceperit in Ecclesia Mediolanensi; *Magno,* inquit, *studio fratrum concinentium vocibus & cordibus,* & post pauca: *tunc hymni & psalmi vt canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret,*

sceret, institutum est: & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac penè omnibus gregibus tuis etiam per cæteras orbis partes imitantibus.

Eat nunc Bouerius & glorietur vnisonum suum modum psallendi & cantus expertem primææ Ecclesię communem fuisse. Hoc certum ac manifestum est, & indubitatum omnibus esse debet sanctam Ecclesiam modum cantandi & psallendi ab Apostolorum temporibus in vsu habuisse; non tamen semper & vbique vniformiter: nam aliquando populus simul Psalmos & hymnos decantabat: quod tamen postea propter aliquorum imperitiam, & multitudinis dissonantiam abrogatum est, eo muneris certis cantoribus imposito, prout latè videre est apud Cardinalem Baronium ad annum Christi 60. & eius compendiatorem Spondanum ad eumdem annum numero decimo tertio vbi ex Diuo Basilio, homilia in psalmum primum Psalmorum modulatum hunc concentum (si tamen vt decet ad pietatem sit compositus) à Spiritu sancto institutum esse affirmat: Vt cum nos propensos ad pietatem videret, eiusmodi concinna numerorum modulatione in animos nostros imprimeret diuinorum eloquiorum vtilitatem num. autem 14. addit: Licet in vniuerso Christiano Orbe canendi in Ecclesia semper viguerit vsus, tamen non eundem vbique esse seruatum modum; nimirum in Ecclesia Alexandrina sub Diuo Athanasio modum fuisse canendi simpliciorem, cum modico flexu vocis: in Oriente vero valde modulatum: Deinde de more Ecclesiæ Romanæ subdit: [Non sic autem Romana Ecclęsia ab Orientali mutuata est modum psallendi: cum iam ab institutæ sedis exordio Psalmorum cantus coaluisset. *Et post pauca*: quantum autem ex antiquis monumentis colligere licet, eadem Romana Ecclesia mediam secuta viam, nec simplicitatem Alexandrinam, nec Orientales compositos numeros in omnibus amplexata, sic temperauit vtrumque vt miram quandam cum suauitate adiunxerit grauitatem. Et Africanę Ecclesiæ ritus Romano atque Alexandrino, quam Orientali similior fuisse videtur] pro quo citat Augustinum epist. 119.

Non minus certum existimo, ac manifestum, Ordinem nostrum sacrum ab initio suæ institutionis Ecclesiam Romanam (secundum cuius Ordinem Clerici Regulæ cap. 3. iubentur

facc-

facere Diuinum officium) in cantu graui & quadrato (quem à Diuo Gregorio Gregorianum nuncupant) fuisse imitatum. Patet id ex antiquissimis Ordinis monumentis, Generalium capitulorum constitutionibus, D. Bonauenturę speculo disciplinę, pręsertim parte prima cap. 14. vbi agens de officio diuino, cantum supponit & nominat, dicitque Nouitijs *prauidendum diuinum Officium tam in littera, quam in nota*. Et sequenti cap. 15. ait: *Legenda quoque & cantanda studiosè ante debere esse prauisa*, atque explicat legendi & cantandi modum: reprehenditque; *si quis punctos in nota nunc diminuens, nunc pro suo libitu addens, muliebriter frangat, aut in falsetum extollat, &c.*

Pro quo notari merentur verba R.P. Fratris Ioannis de Parma in epistola ad Ministros Tusciæ, quam refert Vvaddingus ad annum 1249. num.2. vbi circa initium dicit: *Quia, sicut indubitanter cognoui nonnulli fratrum officium diuinum; quod de Regula nostra secundum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ celebrare debemus, in littera mutare interdum, sed in cantu maximè variare præsumunt, minus pensantes quod hi in gloria sua ponunt maculam euidenter, dum sua dimittunt à sanctis Patribus edicta, &c.* Et post pauca iniungit, vt præter id solum, quod Ordinarium Missalis, & Breuiarium, à fratre Aymone pio correctum studio; & per sedem Apostolicam confirmatum & approbatum, postea nihilhominus per Generale capitulum, noscitur continere, nihil omnino in cantu vel littera sub alicuius festi seu deuotionis obtentu in hymnis seu responsorijs, &c. Permittant in choro cani vel legi, nisi approbetur à capitulo. Et post pauca: *Porro cantum seu sonum hymnorum nostrorum quomodolibet variare, aut cantare in aliquam notam non secundum nostrum Breuiarium, vel consuetudinem per Generale capitulum approbatam, non patiamini de cætero transmutari, subditos vestros ab huiusmodi nouitatibus arctius compescendo.* Cuius explicatio videri potest apud Franciscum Luengo controuersia 8. in Regulam sect. 1. num. 26. In vita quoque sanctę Clarę cap. 19. dicitur quod in nocte Natiuitatis Domini, cum ipsa sola in infirmaria esset relicta, cęteris sororibus ad matutinum recitandum ad Oratorium pergentibus, *mirabilis ille concentus qui in Ecclesia sancti Francisci fiebat suis cœpit auribus intonare, audiebat iubilum Fratrum psallentium; harmonias can-*

tantantium audiebat, ipsum quoque percipiebat sonitum organorum; vt pateat ijs non immerito etiamnum Ordinem vti, tum ad alleuiationem oneris chori (quod satis graue est strenuè & continuè illud portantibus) tum vt spiritus cantantium adinstar philomelarum, harmonia organi ad iubilandum excitentur. Hoc solum putarem humilibus & pauperculis Fratribus Minoribus curandum, vt modicis contenti, curiositatem & magnificentiam maiorum Ecclesiarum non æmulentur.

Vt interim inutili probationi supersedeam; res hęc de cantu in Ordine ab initio vsitata adeo est notoria, vt non ignobiles Regulæ expositores putauerint ex Regula Ordinem obligari ad officium diuinum cum nota & cantu dicendum; vt patet apud R.Patrem Franciscum Luengo controuersia 8. sect. 11 vbi cap.3. Regulæ explicans num.27. refert verba Hugonis: *nunc in litteris, nunc in cantu, paulatim à Regulari recedentes officio, auferunt ordinem necessarium ex Regula iuxta S.P.N. Francisci morem*. Num.23. refert Pisanum dicentem: *sequitur etiam ex prædictis quod sicut Fratres ad officij ordinata seruare tenentur, sic & quo ad cantum*. Num.29. citat Roufferium idem manifestissimè & ex proposito docentem & probantem. Citatur etiam Corduba in cap.3. Regulæ quæstione 1. puncto 5. notabili 3. Miranda in manuali Prælatorum tract.1. quæst.37. articulo 7. conclusione 1. Nec excusat recitationem officij in choro sine cantu Roufferius & R. P.Franciscus Luengo, nisi per consuetudinem receptam & legitimè introductam à Superioribus & Summis Pontificibus approbatam imo n.32. docet præfatus Luengo ex vi Regulæ teneri Fratres, quoad fieri poterit dare operam, vt bene sciant cantum firmum (id est Gregorianum vel simplicem) quandoquidem pręcepto fine (qui est persoluere diuinum Officium cum cantu) etiam medium (quod est cantum addiscere) censeri meritò debeat præscriptum.

Et reuera si Regulæ litteram quam habet cap.3. *Clerici faciant diuinum officium secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, consideremus, ac tam manifestam & inuiolabilem praxim Ordinis, Superiorum Generalium & Capitulorum mandata, vt par est, pensemus; cum consuetudo sit optima legum interpres; multò sanè efficacius apparet argumentum hanc obligationem probans, quam id quo Bouerius acumen & af-

futuram capitij sui tanquam ex Regula præscriptam probare nititur, vtpote cuius nulla sit mentio in littera, ac de quo nihil vnquã vel à Pôtificib. vel ab Ordine inuenitur præceptum.

Hæc tamen eo fine non dixerim, vt sententiæ hanc ex Regula obligationem asserenti, tamquam indubitatæ subscribam; cum sciam Ordinem Romanæ Ecclesiæ sine cantu posse intelligi, & Sanctissimum Patrem Nostrum magis de substantia officij & interna deuotione, quam de cantu & sono vocum fuisse sollicitum; vt patet ex epistola eius 11. ad Capitulum Generale; in qua circa medium dicit: *Clerici dicant diuinum officium cum deuotione coram Deo, vt possint per veritatem mentis placere Deo, & non cum lasciuitate vocis aures populi demulcere; & non attendentes melodiam vocis, sed consonantiam mentis, vt vox concordet menti, mens verò concordet Deo.* Quibus similia Fratres & Filios suos alijs diuersis in locis monet & instruit Sanctissimus Patriarcha & deuotissimus officij recitator. Sed præfata omnia eo fine à me allegantur & repræsentantur in hoc speculo, vt appareat, quam paruo sæpè fundamento bonus iste Annalista aliena deprimat vel reijciat, vt sua probet & præferat: Et vt animentur confratres nostri Obseruantes, ne rem tam laudabilem, tam seriò & continuò in Ordine ad Dei gloriam & populi ædificationem practicatam, paruipendant; aut facile prętextu alterius deuotionis, vel (quod peius est) per negligentiam dilabi permittant. puto enim me sine iactantia posse dicere & scribere, quod à plerisque viris primarijs Ecclesiasticis, Sæcularibus & Regularibus aliorum Ordinum candidè dici audiui frequentissimè maiestatem diuini Officij in cantu & ceremonijs Ordinis nostri potissimum conseruari & elucere: malleque se cantum nostrum, quam musicam quamtumuis artificiosam & suauem audire. Ne itaque maculam in gloria nostra ponamus, caueamus, ne elabatur cantus peritia; ne pro multis missis celerius canendis cantus decorem & grauitatem amittamus; ne sub specie melioris boni, quod à viris vitæ spiritualis zelatoribus, facile sine huius boni dispendio inueniri potest (loquor de interna deuotione, doctrina, & alijs pietatis operibus) tam laudabilem ordinis nostri consuetudinem immutemus.

Alioquin memini me in Ecclesijs aliquibus collegiatis aliquando cantui diuini officij inter fuisse, quod per quartale hó-

ræ vel amplius non potuerim ex vno verbo, intelligere quid caneretur, an post psalmos gloria vel requiem caneretur; missa minus quam mediæ horæ spatio à Sacerdote & choro caneretur, & quidem votiua solemnis cum Gloria & Credo. Huiusmodi abusus meritò reprehendendi & tollendi sunt: atque vtinam potius tales priuatim cum deuotione legerent, quam tali cantu Ecclesiam & Deum inhonorarent. Quod ne accidat, in ferijs & minoribus festis (quibus minus solemniter fieri solet officium) ab initio videtur Ordinis consuetudo habuisse, vt potius cum debita pausa sine nota legeretur, quam nimis raptim cum minori decentia caneretur. Verum quoad missas quouis tempore, & alia officia solemniora, puto (saluo meliori) Deo & Ordini & populo faciendam iniuriam, si solemnitas cantus, quo plurimi ad deuotionem excitantur, negligeretur vel abrogaretur.

QVAEDAM CORROLLARIA.




OVENTVR sparsim alia in chronicis Bouerij, quæ tanquam adiaphora, vel ad rem minus facientia ex proposito prætereo. Vt quod ad annum 1529. num.35. in statutis Capucinicis interdictum fuerit vti calepodijs, quibus eo tempore Obseruantes in Italia vtebantur, vt sic à capite vsque ad pedes ab ijs distinguerentur: sed qui nudis pedibus incedere non valerent, scandalia vel soleas deferant, vti legitur Apostolos & Priscos Patres detulisse. Simile est quod ibidem num.30. prohibitum Capucinis referatur, ne mendicarent carnes vel caseos, ne studia erigantur nec sæcularium confessiones audiantur.

Item quod procuratoris vel syndici nullam velint fieri mentionem num.50. sed pro syndico Christum & pro procuratrice Beatissimam Virginem Matrem Dei, & pro eorum substituto Beatum Franciscum. Et similia multa passim occurrunt, quæ aut mutata postmodum fuerunt in isto Ordine, aut parum ad rem faciunt, aut sanè sine vllo purissimæ Obseruantiæ detrimento fieri possunt; vt quoad vsum syndicorum, propria relectione Theologica & litterati doctè & solidè deducit R.P Noster Marchant super Prouincias Germaniæ & Belgij nostri Commissarius Generalis, cum explicatione in Regulam an-

no 1648. Antuerpiæ edita. Cui proinde nihil superadendum duxi, nisi quod qui Patrem aut Magistrum in cœlis quærendum docuit, & videri potuit vetuisse vocari Patrem super terram, non ita litteraliter intelligi possit, vt verè Patres aut Matres haberi prohibuerit; sed ne affectus & fiducia in illis ita constituatur, vt cœlestis Patris & Magistri affectum diminuant. Quod de Syndicis, Apostolicæ Sedis procuratoribus, Patribus ac Matribus Spiritualibus ita conantur obseruare veri Obseruantes, qui eos admittunt, sicut boni Capucini, qui saltem rem non respuunt; vt meminerint se Christum Dominum, B. Virginem Syndicum, Patrem Matrem ac tutores habere.

Tantum breuiter adhuc excludenda videtur Bouerij inanis gloriatio, quam Demonstratione 10. de vera habitus forma num. 16. sumit ex verbis R. Patris Gonzaga, qui, ait, illud *inter suos Obseruantes*, & Capucinos discrimen agnoscit, quod illi Regulam iuxta Pontificum declarationes, Capucini vero iuxta litteram obseruant. Sed parceat mihi Bouerius, si dixero ipsum à littera R. Patris Gonzaga & vero eius sensu aberrare. Habet enim ille parte 1. titulo de Franciscani Ordinis perfectione Patrumque Capucinorum Origine: *Capucini Regulam secundum corticem, id est, iuxta litteram seruant.* Quod vel est dicere; quod cortici litteræ præter spiritum & mentem fundatoris inhæreant, vel nullum ponitur inter Capucinos & veros Obseruantes discrimen, qui dicuntur Regulam secundum Pontificias declarationes seruare. Nam Pontifices qui Regulam declararunt non recesserunt à littera simul cum spiritu sumpta; pro vt Christus Dominus eundem ad litteram, ad litteram, ad litteram voluit obseruari.

CONCLVSIO.


HOC puto ex nostro Speculo patere omnibus ad oculum, qui illud sine præuentione intuebuntur, Ordinem nostrum Fratrum Minorum Obseruantium cum omnibus qui sub illo militant fuisse eo tempore quo exorti sunt Capucini, & permansisse vsque modò, & permansurum ad sæculi finem, vt speramus, iuxta sanctissimi Patris nostri promissionem, verum & legitimum Ordinem à B. Francisco institutum.

Secundo, in illo Obseruantium Ordine non ita Obseruantiam (quæ est vita eius, à qua nomen distinctiuum à Conuentualibus accepit) defecisse vt fuerit opus alium illi Ordinem substituere, vel reformationem extra Ordinem inchoare. Et si reformatio aliqua erat necessaria, pro vt est proculdubio omnibus congregationibus, vtiliorem saltem Ordini, & sanctiorem fuisse Capucinorum, si intra gremium eius, cum subordinatione ad Superiores Beati Frācisci successores fuisset instituta. Nec hoc (accedente bona reformatorum voluntate) impossibile debuisset æstimari, oblata à Generalibus Obseruantium viris prudentibus, & boni communis zelatoribus, vnione, & priuilegiorum ac cōstitutionum particularium confirmatione & seruatione, adstipulante præsertim Summorum Pontificum, qui id desiderabant, authoritate.

Tertio, multò minus ita defecisse Ordinem, vt status eius non esset status salutis: quod nimis inconsideratè eidem pluries obijcitur, nam si hoc erat verum, Matthęus Bassius primus Author reformationis Capucinorum ad eorum obedientiam non redijsset, & defunctus stupendo miraculo Fratribus, qui eius corpus processionaliter ad nouum tumulum marmoreum deferebant non benedixisset, ipsomet Annalista id referente in fine vitę eius, quam describit ad annum 1552. nu. 86. vbi hæc verba habentur: *Dum enim feretro humeris imposito Fratres Beati viri corpus in marmoreum tumulum transferunt; illud haud secus, quam si apud nos adhuc vita frueretur, dextro brachio erecto, ac digitis in benedictionis formam compositis quasi adstantes benediceret, crucifixi in eos signum edit.* Maledicti enim sunt à Beato Francisco, & ipso domino, qui Regulam cum proximorum scandalo transgrediuntur: Ac proinde si tales fuissent Obseruantes, à viro isto sancto, miraculosè benedici non potuisse est certissimum.

Non debuisset etiam vel potuisset Beatus Fr. Nicolaus Pastor ad suos Obseruantes redire, cuius reditum & verba lubet hic adscribere. Fuit iste Beatæ memoriç Pater professus anno 1538. apud Obseruantes nomine & re tales, vt patet ex cap. 3. vitæ eius, quæ habetur 4. parte chron. lib. 8. ad longum descripta: ad aliquod tempus cohabitauit Patribus Recollectis: vt habetur cap. 39. postmodum cap. 43. & ad Capucinos se contulit: cuius rei causam interrogatus respondit Patribus

Carthusianis de scala Dei; *egredior ab hominibus totaliter sanctis, & vado ad homines totaliter sanctos.* Interrogatus postmodum à Rectore Teuisano; cura Capucinis ad Obseruantes redijsset, respondit se aliter facere non potuisse, quam in hoc voluntatem Dei implere: de quo his verbis se reuelationem habuisse insinuauit. Nec minus est memorabile, quod à Fratre Francisco Sacerdote insigni Theologo in Conuentu Beatæ Mariæ de Iesu Barcelonæ interrogatus, an propter aliquid sibi displicens redijsset à Capucinis? Respondit vir Sanctus: *nullo modo: nam Religio Sancti Patris nostri Francisci est totaliter & verè sancta in omnibus membris suis. Patres Capucini sunt Sancti, Patres Obseruantes sunt Sancti, Sancti sunt & Conuentuales.* Sic locuti sunt de Capucinis & Conuentualibus Sancti Obseruantes: sic loqui debuisset & Bouerius. Vbique enim à bonis inuenibilis est Deus: sicut hic Beatus à Fratribus post matutinas in choro existentibus auditus est alta voce clamare: *hic & ibi, ibi & hic.*

Nec pro Obseruantium consolatione & confortatione hic omittendum puto quod habet de eodem Beato viro Gonzaga 3. parte in Prouincia Valenciæ Conuentu 9. in fine: *cum obuius factus* esset imagini Beatæ Virginis eam his verbis allocutum esse: *Sanctissima ac gloriosa domina non aufugit qui domum reuertitur.* Dixisseque Fratribus antequam viaticum reciperet: *reus sum maximeque subijcior culpæ, quod sacrum Franciscanorum Obseruantiam ad tempus deseruerim, atque ad Patrum Capucinorum Congregationem (quærens quod mihi minus expediebat) transierim, licet hoc bono zelo ductus (vt Deus mihi testis est) fecerim: Quamobrem vos charissimos Patres ac Fratres hortor vt sorte vestra contenti sitis: nam Minorita Obseruanti, si communem sectetur vitam, nihil penitus eorum deest quæ ad Regulæ Franciscanæ & suæ professionis perfectionem atque nitorem desiderari possunt.* Vtinam hæc attendisset Bouerius dicta circa finem vitæ ab homine virtutibus, spiritu prophetico, & miraculis pluribus illustri! credo quod non adeo contemptibiliter de Ordine Obseruantium fuisset locutus, quasi in eo ad sanctitatem imò & ad salutem aditus, fuisset præclusus. Vtinam idem sapuissent qui ex Ordine Obseruantium ad Capucinos vel primò vel postea transierunt, non puto quod tanta inter nos controuersia, totque in populo scandala nata

fuissent. Vnum istius Instituti Patres obtestandum iudico, vt si vnionem inter ordinem suum & nostrum adhuc iudicent impossibilem; saltem solliciti sint nobiscum seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis iuxta monitionem Apostoli ad Ephesios 4. Differentia enim quæ inter nos & illos est adeo est exigua, vt non mereatur iurgium inter nos & illos, *quia Fratres sumus* saltem eodem Patre geniti, & quamuis dixerit Abraham *recede à me*; *Gen* 13. illud in viris religiosis locũ nõ habet, ibi enim bona dabant iurgiorũ occasionẽ quæ à pluribus possideri non poterant. Nos vero cum secundum D. Gregorium.

Hæreditatem illam tantum diligere & quærere profiteamur, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus vna est & singulis tota; quæ tanto largior esse ostenditur, quanto ab hac percipientium multitudo dilatatur. Vt quid pro barba, forma caputij, pyramidalisne, quadrata vel rotunda esse debeat, controuersiam mouemus? qui omnes supponimus ab illis sanctitatem & beatitudinem non dependere, modo secundum vocationem nostram virtutes Religiosas exerceamus.

Contingit sanè pauperculos quosdam, nescio quam sanctitatis opinionem apud homines potius, quam veritatem coram Deo quæritantes, nunc suam & suorum austeritatem exaggerare, nunc paupertatem sine vlla humana prouisione, si non possint virorum, saltem fœminarum mentibus imprimere: habitum suum esse sancti Francisci asserere, Fratres Minores Obseruantes illum non habere, in prouisionibus faciendis excedere &c. Quid ex illis boni haberi potest? Charitatem destruunt, deuotionem populi minuunt erga illum Ordinem cui detrahunt: & si contingat hæc referre ijs quos concernunt (prout fieri solet à sæcularibus, qui omnia curiosius indagare & indicare quærunt, & in hunc finem quid alij respondeant expiscantur) natum est fieri, vt, qui homines etiam sunt humanum quid patiantur, & eadem mensura, qua mensum ipsis est, remetiantur. Adeo enim (Deo teste dico) aliqui in istis exorbitant, vt difficulter etiam boni Religiosi & prudentes viri aliquando se contineant, quin pro sua defensione detegant, quæ norunt de suorum detractorum defectibus; & sic metuendum est *ne duminuicem mordemus & comedimus, ab inuicem consumamur*: sicque status Religiosus vilescat apud homines, qui nos homines non reputarent (saltem non

huius ſed alterius ſæculi) niſi nos ipſis ſimiles, imperfectos, liuidos &c. oſtenderemus. Non quod velim alijs omnem culpam dare, quaſi nihil ex noſtra parte delictum eſſet: ſcio enim etiam homines nos eſſe, & homines habere. Verumtamen hoc me conſolatur, quod ex pluribus hominibus cordatis, & ſpecialiter non paucis elapſis menſibus à quodam viro Religioſo Paſtore, omnium Religioſorum generali amico, ſub ſua fide ſacerdotali audiuerim aſſecurari, ſe ideo præ cæteris, Religioſis noſtris affici quod nunquam aliquem noſtrorum ſe aut ſua audierit ſingulariter commendantem, & aliorum honori & ſplendori vel in minimo detrahentem. Si alibi & apud alios forte aliter factum eſt, deteſtor & execror, alijque mecum, & optamus omnes, vt ſi quid Religioſi Religioſis obijciendum habeant, id fraterna confidentia & charitate ſibi mutuo indicent, non ſęcularibus, quorum nihil intereſt: neque curę nobis ſit quiſnam Ordo hominibus videatur melior, vel ſanctior, diſputare verbis, ſed operibus contendere in oculis diuinę Maieſtatis eſſe, qui & quales eſſe debemus: *ſi etenim* (cum Thoma à Kempis dico) *tantam adhiberemus diligentiam ad extirpanda vitia & virtutes inſerendas, ſicut ad mouendas quæſtiones, non fierent tanta mala & ſcandala in populo, nec tanta diſſolutio in cænobijs*. Nam in die Iudicij non proderit, ſe meliorem hominibus dixiſſe, ſed coram Deo melius vixiſſe; habitu auſteriorem & pauperiorem apparuiſſe, ſed coram oculis eius, qui videt in abſcondito, verum humilem, pauperem fuiſſe, & ſuper omnia, Deum ac proximum dilexiſſe. Quod ſincero corde exoptans concludo cum Apoſtolo ad Epheſios cap. 4. in initio obſecrante: *Vt dignè ambulemus vocatione qua vocati ſumus, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus ſpiritus: ſicut vocati ſumus in vna ſpe vocationis.*

FINIS.



PRO-

PROTESTATIO AVCTORIS.

LECTOR aduerte in Elogijs Virorum Illustrium quos hoc libro complexus sum nonnulla me obitèr attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere: perstringo nonnunquam aliqua ab ijs gesta, quæ cum vires humanas supe- rent, miracula videri possunt: præsagia futurorum, Arcanorum manifestationes, reuelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi: beneficia item in miseros mortales eorum intercessione diuinitùs; demum nonnullis sanctimonia, vel Martyrij videor appellatione tribuere. Verum hæc omnia ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tamquàm ab Apostolica Sede examinata, atque approbata, sed tanquàm, quæ à sola suorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeò non alitèr, quàm humanam historiam. Proinde Apostolicum sacræ Cogregationis S. R. & Vniuersalis Inquisitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum integrè, atque inuiolatè, iuxta declarationem eiusdem Decreti à sanctiss. D. N. D. Vrbano Papa Octauo anno 1631. factam seruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem sanctitatis, aut martyrij inducere, seu augere, nec quicquam eius existimationi adiungere, nullumquè gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, sed omnia in eo statu à me relinqui, quem seclusa hac mea lucubratione obtinerent, non obstante quàcunque longissimi temporis cursu. Hoc tàm sanctè profiteor, quàm decet eum, qui sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua inscriptione, & actione dirigi.

Ego Fr. Iacobus de Riddere, &c.

REGE-

REGESTVM.

*, †, A B C D E F G H I K L M N O
P Q R S T V X Y Z
A a



R O M AE,
Ex Typographia Iacobi Phæi. MDCLI.

Superiorum permissu.